AD ILLUSTRISSIMAM REGINAM D. CATHARINAM MEDICEM, ...

Louis Le Roy



AD ILLVSTRISSIMAM REGINAM D. CATHARINAM

Medicem, Francisci. II. Franciæ Regis inuictissimi potentissimique matrem, Consolatio Ludouici Regij Constantini, in morte Henrici Regis eius mariti: ubi per occasionem exitus eius notabilis exponitur, quæque antecesserunt aut consecuta sunt mirabilia narrantur.

EIVSDEM, QVOD OMNIA INFRA LVnam, præter animos cælitùs demissos, mortalia & caduca perpetuæque mutationi obnoxia, & quòd nulli uita fragilior quàm homini: de cuius præstantia & miseria multa in utramque partem disseruntur, repetita è media philosophia: ac probatur in tãtis malis, quibus subiectus est, mortem illi non esse deprecandam, sed potius confidenter obeundam, fortitérque ferendam, uelut aut necessitatem naturæ, aut laborum & ærumnarum quietem, aut commutationem uitæ fœlicioris.

ADDITVS EST LIBER EPISTOLARVM EIVSDEM ad præstantissimos clarissimosque huius ætatis viros.

PARISIIS,

Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.

M. D. LX.





PRIVILEGII SENTENTIA.

CAVTVM est authoritate Francisci II. Francorum Regis, ne quis alius, præter Federicum Morellum, typographum Parisiensem, hanc Ledouici Regij Cōsolationem ad Illustriss Reginam D. Catharinam Medicem Regis matrem, & Colloquium, cum Epistolis eiusdem authoris, ante sexennium, ab hac prima editione, excudat, neue vendat qui secus fecerit, libris, & pœna in sanctione æstimata multabitur. Priuilegium ad fanū D. Leodegarij integrum, Cal. Iulij. Anno M. D. LX.

Per Regem, Cancellario præsente,

HVRAVLT.



D. CATHARINÆ REGINÆ

LVDOVICVS REGIVS

S. P. D.



VM maximè cuperem pleniori aliquo obsequio demereri Maiestatem tuam, appuli animum ad scribendam hanc Cõsolationem, magis adeò ut in hoc genere officij studium meum probarem, quàm quòd te mulierem sapientissimam talibus monitis magnoperè egere putarem. Scripsi autem latinè: ut si digna iudicaretur qua in tuo nomine appareret, latius per Europam euagaretur: propterea quòd latina ubique ferè leguntur, cætera uerò lingua sua cuiusque gentis finibus continentur. Quod porrò datum est otij in hac mansione Blesensi, huic potissimùm scriptioni suppeditaui, multis alioqui occupationibus districtus. Sed nulla unquã cura erit apud me potior, quàm de colenda tua dignitate: & quantum in hisce literis eniti potero, quantum labore contendere, tantum efficiam, ut hæc mea in te obseruantia omnibus innotescat. VALE. *Blesis, Nonis Ianuarij,* M. D. LX.



AD ILLVSTRISSIMAM REGINAM D. CATHARINAM MEDICEM, Francisci secundi Franciæ Regis inuictissimi potentissimique matrem, CONSOLATIO Ludouici Regij Constantini, in morte HENRICI Regis eius mariti.



COGITANTEM me sæpius ad te in hoc grauissimo acerbissimóque casu aliquid scribere, cùm dignitas tua & authoritas, tum excellens in omni laude muliebri uirtus deterruerunt. Nam & tantã Reginam in procuratione maximi regni assiduè occupatam longiore sermone morari uelle, & mulieri summæ prudentiæ ac sapientiæ multis gentibus populisque moderanti, consolandi rationes proponere, cui tot principes viri ac fœminæ, tot amici & consiliarij adsint: qui & consolando, & propè æquè dolendo, luctum leuare, atque animum à præsenti molestia abducere, quantum per magnitudinem doloris licet, conentur: uix in hac mea humilitate arbitrabar eius esse, qui in temeritatis uel impudentiæ crimen incur-

rere uereretur. At contrà dum recolerem me iamdiu abs te in numerum tuorum cooptatum: quem sæpè de studiis doctrinæ quibus plurimùm faues, differentem benignè audires, quod semper honorificentissimum duxi, tuáque in me complura beneficia recordarer: non putaui esse alienum institutis, si quemadmodum antea Maiestati tuæ colendæ meam curam, operam, diligētiam præcipuè dicaui, sic etiam leuādi nunc mœroris studium aliquod, si minus tantæ dignitati conueniens, at beneuolum tamen, & iustum, & debitum, & propterea fortasse etiam gratum præstarem. Quæ sedulitas erga te si serior aut intempestiuior uideatur, existimes uelim non intermissione officij mei, non tarditate, aut occupationibus dilatam, sed quòd expectandam diem putarem, quæ longinquitate temporis ægritudinem paululum molliret. Nam ubi omnis sensus in mœrore recenti uersatur, & in malo accepto uis inest, & uiget, suámque habet uiriditatem, medicinam dolori adhibere, parùm quidem aut nihil certè prodest. Sed ueluti in curandis morbis corporum, sic sedandis ægritudinibus animorum quæ perniciosiores sunt, sumendum est tempus, dum spatio interposito mitescant.

QVOD si fuit unquam tempus dolēdi, si res, si causa: tū profectò fuit, cùm marito tuo Rege maximo grauiter saucio, & paulò pòst mortuo, tāta subitò tāmque inopinata mutatio facta est. Nam cùm festæ pacis redeuntis opportunitate cunctę gētes recreatæ in spem

ſpem maximam adducerentur, hunc ipſum annum hac Regum concordia & affinitate, tranquilla republica Christiana, Europæ fore ſalutarẽ, cùm ſocij ſtipendiarijq́; huius regni incredibili lætitiæ uoluptate fruerentur: omnis ordinis, omnis generis, omnis ætatis & fortunæ viri ac mulieres gratiis agẽdis & gratulationibus habendis paſsim effuſi, in ferijs, conuiuijs, iocis, choreis, ludis, cantibus uerſarentur: cuncta plena hilaritatis, magnificentiæ, ſplendoris, domi foriſque conſpicerentur: ECCE repentè gemitus, ſingultus, lachrymæ, ſqualor apparuerũt, atræ & pullatæ ueſtes, urbs confecta ſenio, ſenatus mœrens, forũ mutum, agri, uici, oppida, prouinciæ triſtes, ædes ſacræ, regiæ, & priuatæ, lamentationibus perſonantes, quarum mediusfidius parietes uidebantur ægrè ferre, quòd non unà conſtrati æquatíque ſolo concidiſſent: tota aula afflicta, ciuium fletus, externorũ qui ex omnibus terris conuenerant, deſiderij ac mœroris magna incredibiliſque atteſtatio atque conqueſtus, legationum undique miſſarum dolor, nobilitatis prætereà languor, militum querimoniæ, domeſticorũ deſtitutio, liberorũ orbitas: tuúſque in primis cruciatus, quæ pannis pullis uittíſque obſita ex conſpectu hominum te in interius cõclaue compluréis dies abdidiſti, quò uix ſol aut aër admittebatur, te perditè conflictans. cùm qui neceſsariò te adirent, non amplius ut magnam Reginam, quam prius norant, intuerentur, ne ueſtigium quidem mulieris, nec

ſimulachrum, ſed quandam effigiem ſpirantis mortuæ. Qua tum animi offenſione uerba mea accepiſſes? Expectandum nimirum fuit, cùm dolori callum quoddam diuturna cõſuetudo obduceret, cùm malum inueteraſceret & ſine gemitu tractari poſſet, cùm patientia uſu obdureſceret. Cæteroqui recordatio potius fugienda erat, quæ reminiſcendo tanquã attrectata nequicquam graue vulnus refricaret. Sin autem quæ nunc afferam minus probabuntur, à te peto, uel potius precibus omnibus obſecro: ut aut grauius onus officij ſuſceptum putes, quàm tentari debuerit, aut dum obſeruantiæ erga amplitudinem tuam meæ ſpecimen extare uoluerim, nimia cupiditate gratificandi, impudentiam cõſolandi ſuſcepiſſe. Dici non poteſt Regina, ne cogitari quidem ſatis, quantum vulnus acceperis: & quo haud ſcio an ullũ grauius mulieri poſsit accidere. Mortis enim acerbitate ereptus eſt tibi vir in ætate florenti, Rex cùm omnis memoriæ nobiliſsimus, tum Europæ potentiſsimus: quî cum annos ſex & uiginti amantiſsimè coniunctiſsiméque uixeras. Fuit in illo mitiſsimum ingeniũ, humanitas ſingularis, eximia bonitas, amor iuſti & æqui, clementia, liberalitas: de quibus non eſt propoſitum hoc loco dicere, quòd notæ ſunt, & multorum ſcriptis ad omnem memoriam commendabuntur. Semper illius præſtantiam & fortitudinem omnium mortalium fama celebrabit. Nec uerò ſilebitur in tãta poteſtate admirabilis quædam

& in-

& incredibilis modestia, & mansuetudo. Toto principatu cum diuersis hostibus multa bella propè continentia terra marique gessit, maximè uaria fortuna, ancipitíque marte: locis disiuncta, sumptibus infinita, sociorum amicorúmque causa potissimùm suscepta: Scoticum, Anglicum, Germanicum, Parmense, Etruscum, Corcicum, Pedemontanum, Romanum, Belgicum. Multas cepit urbeis, nonnullas amisit, Boloniam recepit: postremò etiam Caletũ & Guinas, oppida natura & arte munitissima, post ducentesimum annum, quàm amissa erant, Anglis ex continente prorsus exactis. Deinde tantorũ malorũ pertæsus, quæ tot per annos nostra uidit ætas: omnẽ dissensionem tanta æquitate extinxit, ut facilè declararet nihil sibi prius unquam fuisse concordia commun, eiúsque commoditatem propriis utilitatibus habuisse semper potiorẽ. Itaque positis bellandi curis, omniũ circà finitimorũ animos societate ac fœderibus iunxit, sed præcipuè affinitatẽ iniit cũ Philippo Hispaniæ Rege, & Emanuele Philiberto duce Sabaudiæ: quos ex inimicissimis amicissimos reddidit, despōsa illi maiore filia, huic sorore unica. Sed qui annus ex maximis molestiarũ & turbulentissimis tẽpestatibus aditum omniũ concessu ad summam quietem spondebat, in qua fructu authoritatis, & regni dignitate frueretur, in qua populos bellorũ calamitatibus afflictos leuaret, prouincias partim uastatas partim exhaustas recrearet: is omnia uitæ cõsilia mor-

te peruertit. Equidem magnitudinē casus tui mecū ipse cōsiderans, non miror te tali viro orbatā lugere. Nam ex natura ipsa cui obsisti difficile, arripuimus, hausimus, expressimus, ut quoties coniuncti nobis & chari interirent, eorum obitum magnoperè lugeremus. Quod multò etiam magis concedēdum mulieribus uidetur, propter insitam uel potius innatam animis earum charitatem, atque pietatem. Non sumus è saxo sculpti, aut è robore dolati, aut è chalybe ferróue cōflati. Sed quemadmodū habemus corpora infirma, morbísque innumerabilibus & doloribus insanabilibus obnoxia: Sic etiā animos adepti sumus corporum doloribus in multis congruentes, & separatim suis angoribus & molestiis implicatos. At quæ ex radicibus naturæ oriūtur, uix stirpitus extrahi aut euelli possunt, præclarè nobiscum agitur, si ea quoquomodo circuncidamus aut amputemus. Est probæ uxoris, est castę mulieris & amātis, interitu viri cō moueri. Quippe nullus est amor cum maritali uel dignitate matrimonij, uel consuetudinis suauitate, uel beneuolētiæ charitate comparandus. Quem etiā Moses longè omniū qui unquam leges tulerunt sanctissimus & antiquissimus, paterno & materno scribit anteponendū. Pleni sunt libri, plena uetustas plena nostra ætas, & uita quotidiana exēplorū. Nullum tamē præstabilius, quàm quod de Alceste fictis fabulis doctissimi homines Græci memoriæ prodiderūt. Quæ cū ex oraculo accepisset Admetū Regē Thessaliæ

saliæ virũ suum breui periturum, nisi ex charioribus quispiam pro eo interiret, nõ dubitauit se ad mortẽ offerre pro ipsius salute: quáuis pater & mater adhuc homini superessent, quibus amore tantũ antecelluit, ut eos præ se alienos, & uerbo tenus parẽtes filio mõstraret. Quod quidem eius factũ Plato philosophorum grauissimus testatur non tãtùm hominibus, uerùm etiam Dijs sic probatum, ut reuiuiscẽdi munus, paucis, & quidẽ præstantissimis, cõcessum, attribuerint, mirificè delectati eius in uero legitimóque amore constantia. Indorum fœminæ uiuæ sua sponte cũ uiris mortuis, iustis funeribus confectis, cremantur. Tãtum ualet apud illas uis amoris, ut alactes in ardẽtem rogum insiliant, uoluntarium exitium subitutæ: & si plures uni quãdoque contingant more gentis, certant inter se quæ sequatur coniugium: pudor est uictis, mori non licere. Artemisia Mausoli Cariæ Regis uxor virũ adeò adamauit, ut defũcti cineres uino mixtos biberit, cui etiam celeberrimũ toto orbe terrarum Halicarnasi fecit sepulchrum, & quandiu uixit, eius desiderio uixit in luctu, eodémque tandẽ cõfecta contabuit. Quanquam hoc posteriore exẽplo admonemur excitandã animaduersionẽ & diligẽtiã, ut quẽcunque casum fortuna inuexerit, hunc aptè & quietè feramus, maximè admodũ ne dũ officiosi in mortuos esse uolumus, lugẽdi affectum longius euagari sinamus. Adhibenda domina omniũ & regina Ratio, quæ eneruatũ illud & molle in animis erigat,

ne lamētis nimiū nofmetipfos dedamus. Præfertim
cùm fciamus defunctos lachrymis reuocari nō pof-
fe,& uideamus flendo nihil aliud proficí,nifi ut ad a-
mifsionē illorum,noftrā miferiam adiungamus. Nā
fi(ut dixi)uera rationi aufcultaremus, profectò nū-
quā tabefceremus eiufmodi moleftiis, nunquā dolo
ribus frangeremur,nec quicquā rerū humanarum in
hac exigua uitæ breuitate occurreret uel intolerabi-
le ad demittendū animū,uel lætabile ad nimis efferē
dū: fed ita acrē in omneis parteis aciē intenderemus,
ut femper omnia nobis quæ accidere pofsunt,medi-
tata haberemus:& cū fecundæ res funt maximè,tum
maximè cogitaremus,quo pacto ferremus aduerfas.
Quòd fi ea effes cui rebus femper ad uoluntatē fluen
tibus uti nunquā refulfiffent, nemo dubitaret quin
impatiētius iftum cafum tuū ferres.Sed cùm ab ine-
unte ætate multa tibi aduerfa fuerint, in quibus te
fortiter conftantérque gefsifti,haudquaquā conue-
nit perpetuæ cōftantiæ tuæ quafi maculā, fic intēpe-
ftiuum aut immodicū languorem afpergere, ne po-
tius errore iudicij, quàm uel fragilitate humani ge-
neris, uel imbecillitate fexus muliebris cruciari iu-
dearis: propterea q nemo non intelligit fummæffe
ftultitiā fruftra confici mœrore. Noli Regina cōmit-
tere,ut hæc tanta ornamenta honoris & dignitatis,
quæ tibi fupra conditionem reliquarum mulierū,&
quafi fupra mortalitatem tributa funt diuinitus,ægri
tudine nimia ac deiectione deformentur.

PRIMVM omnium tibi contigit ex clarissima Medicum familia nasci Florētiæ, celebri urbe & copiosa: ex qua Pontifices duos maximos uidimus, cui restitutionem meliorum artium & literarū merito atque optimo iure referimus acceptam. Deinde fœliciore auspicio, & ueluti ad maiora rerū ducentibus fatis, nupsisti Regi uni omniū nobilissimo: ex quo plures liberos suscepisti plæclara indole præditos: qui tibi magno solatio esse debēt: inter quos iam uides alterum Regem Franciæ, alteram Reginam Hispaniæ, admirabili prorsus fœlicitate, ut tuæ prolis beneficio iungerentur duæ Regiæ maximè præstātes, siue in orientis aut obeuntis solis ultimas oras nos cōuertamus, siue in Aquilonis Austríue parteis respiciamus. Quid dicā de pietate in Deum & religione, bonitate in tuos, iustitia in omneis, obsequio in virum dum uixit, cura atque diligentia in liberis educandis, præstantia in regno administrando, moderatione in domesticis, splendore in publicis, uigilantia, abstinentia, magnitudine animi, innocentia, sanctitate? Sed nec tacitus præterire possum, quasi clarissimum lumen hac tempestate elucere & castitatem, & pudorem, & prudentiam tuam. Quamobrem quoniam non modò cæterarum huius ætatis mulierū gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam uirtute ac fœlicitate superasti, debes in tam raris bonis uti sapientia tua, qua plurimis gentibus prudentissimè moderaris: ut si minus æquo animo, at forti

& constanti viri tui desiderium sustineas. Respice te quæso, & istum lāguorem si auferre per grauitatem calamitatis penitus non potes, saltem remittas: ne aut ingrata neglig̃eter, aut immemor tot beneficiorum à Deo acceptorum, impiè tibi desisse uideans.

ATENIM casus intolerabilior quia repentinus & improuisus: quoniam grauius feriunt animos mala nec opinata, & maiorem plagam efficere uidētur. An uero in hac breuitate uitæ inter uarios incertósque casus singulis propè momentis interuenientes, potest quicquam minus inopinatū, quàm mors haberi? quæ etiam sæpenumerò propter tot calamitates interim incidentes, antequam ueniat, optatur. Moriendū est certè Regibus pariter & inopibus, nec cuiquam exploratum, illum ad uesperum usque esse uicturum. Non ex nostra spe ultimus dies promittendus, sed nullus non tāquam ultimus aspiciendus. Hac fatali lege summi, medij, infimi nascuntur: hac immutabili necessitate alligantur, constringuntur, trahuntur. Nihil in hac tanta uarietate, mobilitatéque rerum, certum cuiquam, nisi mori uidemus. Ac credibile est naturam cùm id certissimum esse statuisset, tamen reliquisse horam moriendi incertam, propterea quòd illa præuisa nemo posset animo cōsistere: nemo tranquillo animo uiueret, nemo rem ullam confidenter aut intrepidè aggrederetur, fracta omni alacritate: sed plerique angoribus conficerentur, & ante interitum uel necessariū miseri interirēt.

Cupi-

Cupiditas quidem generi animātium omni magna ingenita est tuendæ propagandęq; uitæ, sed hominibus lōgè maxima: quorum nemo paulo erectior his angustijs quæ nobis ad uiuendum datæ sunt, cōtentus est, sed uelis equisq; ut dicitur, ad laudē & gloriam contendens, posteritatem lōgissimè prospicit, & optat nominis honorem disseminare in orbis terræ memoriam sempiternā. Cui tamen rei eum modum definire debent, ut mortales cùm nati sint, non postulent conditionem immortalium: sed infirmitatis suæ memores, secum ipsi semper reputent, non idcirco in uitā ingressos, ut ad arbitrium suum leges illi darent, sed constitutis à diuina prouidentia obsequātur. Itaq; Regina, cū mors propter incertos casus quotidie immineat, & propter breuitatem uitæ nunquam non longè absit, non debes in hac mortalitate cōmuni, iniuriam tibi factam arbitrari, quòd uirum amisisti: sed beneficium datum, quòd tandiu bonitate eius uti fruiq; licuit. Omnes enim mulieres quæ unquam nupserūt, uel superuixere viris suis, uel illos superstites moriendo reliquerunt. Quòd si natura iure suo utens, debitū fatale ab illo prius exegit, non ob id culpanda: præsertim cùm multo diutius eius fruendi potestatem fecerit, quàm innumerabilibus alijs mulieribus frui viris suis concesserit, aut sit in posterum concessura. Ingratus est debitor qui accepto mutuo, præsertim gratuito, cùm appellatur à creditore conuitium facit. Itidem usura lucis

quæ nobis nulla præstituta die data est, quando reposcitur, nõ cõuenit in dãni loco ponere, quod reddimus: sed in lucro deputare, quod accepimus. Honores, opes, liberi, maritus clarus & nobilis, cæteráq; ex incerta & mobili sorte pẽdentia, aduẽtitia sunt bona, & cõmodata: ususfructus tantum est noster, cuius tempora ille arbiter muneris sui temperat. Qui si in repetendo uiro non satietatem tuam, sed suam uoluit sequi legem: sine querela obtemperandum. QVAPROPTER gaude potius, tam præstanti Regi nupsisse, & usumfructum eius, quamuis breuior tuo uoto fuerit, boni cõsule, cogitans honorificum fuisse quod habuisti, mortale quod amisisti, & periturum perdidisse. AT ILLVD fortasse mouet, quòd in florenti ætate decessit, quódque plures adhuc annos uiuere cùm posset, coactus sit è uita tanquam è scena, nondum cõclusa fabula, discedere. Sed ueluti nihil refert, quandiu fabula agatur, modò, in quocũque fuerit actu, probetur: Sic cumulatis uitę officiis, parùm interest quando moriamur: ubicunque, & quomodocunque uita honesta desinit, suis se laudibus occidens consolatur. Quanuis ille obiit uiridis, tamen plurima boni regis officia iam erat executus. Regnum prudenter administrarat fortitérq; defenderat, amicos & socios protexerat, Europam pacauerat, nobilissimas affinitates acquisierat, magnis principibus filias collocarat, filiũ maiorem Regem Scotiæ uiderat: Deinde his diebus quos in uita celebertimos

berrimos lætissimósque uiderat, excessit è uita, suæ bonitatis & præstātiæ magno sanè desiderio relicto. Quibus rebus hoc consecutus uidetur, ut licet eius ætas fuerit imperfecta, uita perfecta sit habenda. Quid enim aliquot annorũ accessio iuuare potuisset? An ut bella gereret? quæ in diuturno principatu, in tanta ditione, inter tot uicinos simultatibus quotidie nascentibus tum apertis, tum clādestinis, deesse non possunt, quorum iam satietate defatigabatur. Gloriam quæreret, quæ non poterat augeri? Aduentantis senectutis incommoda morbósque experiretur? Magna certè fœlicitas, uel potius omnium cōfessione maxima, mori in fœlicitate. Idcirco memoriæ proditum est Heroum præstantissimos, & à Diis genitos, antequam senescerent, mortuos. Nam sicut ex amphora quod primum effluit sincerissimũ est, grauissimum quodque & turbidum subsidit. Sic in ætate hominis quod est optimum, primũ exhauritur: in senectute uerò quod segnius & languidius est, tanquam fæx asseruatur. Quippe ut à Vate maximo uerè & eleganter scriptum est:

O prima quæque dies miseris mortalibus æui,
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Deinde quid interest quàm citò exeamus, dum utique exeundũ est? Non hoc de nihilo est, quòd quidam uitam humanam mari comparauit, & mortem portui: in quem ineunte ætate delati, nō magis que-

ri debent, quàm qui citò nauigant. Etenim ut in nauigando alij è portu soluentes, subita coorta tempestate aquis obruuntur, alios in altum uela dantes pertinax flatus celerrimè defert, alios uēti segnes ludunt, ac detinent & tranquillitatis lentissimo tædio lassant, alij cùm inter tot scopulos, & insidias uadosi maris euaserint, cùm tristibus nubilis dies obscuras, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes effugerint, uix tandem magnis & multis tempestatibus conflictati, egressum inueniunt. Sic uita alium in ipso aditu relinquit, aliū in medio cursu deserit, alium prospero fortunæ flatu usum ad exitum prouehit, alium reflatu affligit, alium in extrema senectute laboribus fractum, curis fatigatum, ac periculis innumerabilibus perfunctum, ægrè emittit. At sperabas diutius tecum mansurum. nimirū hoc erat incerta pro certis habere. Sic humana spe pendemus & eludimur, quæ præ nimia auiditate quid rerum natura sit, obliuiscitur, nec unquam sortis suæ meminit, nisi cùm admonetur. Prætereà unde scis, an illi expedierit diutius uiuere, cùm idipsum uideamus pluribus etiā Regibus atq; Imperatoribus obfuisse, qui propagatione uitæ in maximas calamitates inciderunt: qui prius mortem oppetendo, fortunatissimi occidissent. Deinde puta illum in summa fœlicitate tantū potuisse uiuere, quantū plurimum licet homini procedere: quantum illud est cum æternitate collatum? Atqui nihil diuturnum uidetur, in quo est aliquid extremum,

mum, quod cùm aduenerit, tunc illud quod præterit, pro nihilo habeatur: eo tantū remanēte, quod uirtute & rectè factis sumus consecuti. Aristoteles vir singulari ingenio, ac penè diuino, querebatur naturam animalibus quibusdā, & stirpibus indulsisse, ut quina ac dena secula duret, homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem terminum stare. Et Theophrastus ab Aristotele institutus, mortēs accusasse eandem dicitur, quòd ceruis & cornicibus uitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus quorum maximè interfuisset, tam exiguā uitam dedisset. Cursu enim rapidissimi temporis primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiā, deinde mediam ætatem, mox à tergo insequens nec opinantes assequitur senectus. Quod spatium ideo longum dicimus, quia nihil ultra habemus, quamuis omnia ista perinde ut cuique data sunt, aut longa aut breuia dicantur. Ac pace tam excellentium virorum contenderim, uitam nostram satis longam ad magnarum rerum perfectionem, si bene collocaretur. Sed ubi per negligentiam ac luxum uires, tempus, ingenium defluxere, uitæ breuitatem accusamus, quam non accepimus: sed fecimus, malè eam collocando. Ætas nostra instar rerum preciosarum non multum patere, sed multum pendere debet.

Qvorsvm igitur hæc spectat oratio? vt ostēdam Regi nostro morte consultum: quem Deus in undis huius uitæ, quibus innauerat, modò minacibus mo-

dò placidis diutius noluerit errare, uariis fortunæ fluctibus obiectũ, præsertim cùm nullius unquã principis res sint ita bene positæ ac fundatæ, quin procedente tempore multa sint timenda. SED quoniam emersisse iam è uadis, & scopulos præteruecta uidetur oratio mea, existimaui reliquum cursum fore faciliorem, si deinceps de genere mortis proponerem. Quæso tamen hoc loco, Regina, ne qua me inscitia ductũ ad renouandum dolorẽ labi putes. Scio quid dignitas tua, quid casus magnitudo, quid humilitas mea, quid officium postulet. Verumenimuero cùm instituissem aliquid de tam memorabili euentu literis prodere, & magnũ studiũ maiestatis tuæ colendæ hoc à me uolumen expressisset, deberi his qui legent pręsentibus ac posteris (si modo dignũ erit quod legatur) putaui: ut rem sicut gesta est, breuiter expositam intelligant. Ac tametsi minimè optabilis in experiundo fuit, in legẽdo tamen arbitror iucundã fore propter viri tam excellentis ancipites uariósque casus, plenos admirationis, expectationis, molestiæ, spei, timoris: propter fortunæ uicissitudines, exitúq; notabilem de quo dicturus sum. In quo si quid peccabitur, iudicij nostri errorẽ sedulitatis cõmendatio defendet. Celebrabãtur Lutetiæ Parisiorũ nuptiæ Philippi Regis Hispanię, & Helizabetę maioris filię, omni apparatu, ornatúq, uisendo, tũ uerò summa totius aulæ vrbísq, lætitia: ad quas frequentissimi mortales ex omnib⁹ finitimis nationibus cõuenerãt, maximè

ximè Hiſpaniæque & Belgicæ primores. Præterea in dicti erāt more nobilitatis Frāciçę ludi militares publici: quorū anteſignani Rex ipſe, & Duces Ferrarīēſis, Guiſius, Nemoroſus, qui ſuſtinerent omneis paratos in certamen equorum haſtarúmque deſcendere, haud ſecus inſtructi armis, quàm ſi ſeriò dimicandū eſſet. Locum uerò ad currendum in uia Antoniana dimenſi erant, proximè ædes Regias de nomine Turrium dictas: ubi reliqua celebritas erat peragenda. Ibi magna multitudo hominum cum liberis & coniugibus ſtudio ſpectandi effuſa, theatra utrinque ſtructa, & uicinarum domorum tecta conſederat. Vno & altero die iam certatum erat, non ſine Regis gloria. Tamen interiores amici ueriti, ne nimia deſatigatio propter æſtum qui id temporis ardētiſsimus erat, ualetudini incommodaret, orare atque obſecrare, ut modum faceret labori, laſsitudinem uitaret, quiſque pro ſua uirili à certamine reuocare. Iam factum ſatis uel amori in filiam, uel celebritati præſenti, uel fortitudini ſuæ: non decere Regem ſine cauſa periclitari. Ille tamen tanquam lege fatali teneretur, nullis potuit eorū precibus flecti. Sed ludorum tertio die iam in poſtmeridianū tempus inclinato, redeuntibus equitum agminibus, ſeſe conſpicuum in equo, fulgentémque in armis oſtendit, & cùm tria quatuórue curricula ſtrenuè feciſſet, deditis huic ſpectaculo omnium mētibus cum oculis, ludicrum repētè deformatum eſt, & luctu miſti hymenęi: ut ſæ-

pè finitimus est gaudio mœror, & dolor uoluptati. Nam magno fortunæ casu euenit, ut Rex incidens in aduersarium ualentem, cùm ambo inter se multa ui hastas miscuissent, easque fregissent: in ipso concursu casside illisa, vulnus graue secundum tempora acceperit. Quo ictu tenebris ob oculos offusis, non parum est turbatus. Atque illum media inter talia collabentem aspicientes, obstupuere. Proximi extemplò accurrere, recreare attonitum, erigere perculsum, detrahere arma, indidem chariores cruentatum & ferè exanimem in cubiculum humeris deferre. Cæteri animis consternati discedere: ut oculos à tam acerbo miseróque spectaculo auerterent. Tum equites alios aliò sine ordine dilabi, hastas manibus deponere, ludicrum periculosum damnare. Adhoc mulieres, præsertim aulicæ, quibus uehementior dolor inceſserat, afflictare sese, atque lamentari deliciis omissis. Continuò etiam re cognita urbis facies immutata est in tristitiam ex summa lætitia, atque lasciuia, quam & pax recens & præsens celebritas peperat: Ciues miserari regnum & regios liberos, si moreretur, manus supplices ad cælum tendere, templa adire, & pro eius salute uota nuncupare, omnia pauere, perinde ac si in eius diei casu, suarum fortunarum euentus consisteret. Confestim subsecuti sunt medici & chirurgi, nec ita longo interuallo aduenerunt alij Bruxellis, missi à Rege Hispa-

niæ, quem constat clade hac soceri sui uehementer doluisse. Atque omnes quam par erat operam & diligentiam ei curando nauauerunt. Sed quoniã plaga grauior erat inflicta, & minutæ quædam ligni particulæ in imo oculo dextro subsederant, quæ præ sua tenuitate uideri, & partis affectæ difficultate euelli non poterant, concusso quoque uehementer cerebro: cùm aliensissimo anni tempore laboraret, incidit in febrim, cuius ui, undecimo die quã caput vulneratus fuerat, consumptus est. Nec in eo casu quis ingemiscentem audiuit, aut edentem ullam uocem indignam anteacta uita. Tantùm dolebat cùm in armis moriendum esset, in ludicro certamine, ac non potius in iusta acie decertantem cum hostibus, mortem oppetere. Certè exemplum præbuit cæteris Regibus, ut semper meminerint personæ quam sustinent, & ut ei tuendæ maiorem cautionem adhibeant: præsertim cùm intelligant ex sua uita pendere tot hominum salutem. Fuit hæc mors luctuosa toti regno, acerba nobilitati, tristis subiectis populis, socijs fœderatísque omnibus grauis: sed tibi ipsi longè grauissima, quæ quandiu sensus in illo fuit, semper ei astitisti, omnibus perfuncta officiis quę in tali casu à proba & amãte uxore proficisci possunt. Exinde iustis more regio magnificè factis in D. Dionysij æde, sepulchro maiorum cõditus est. EIVS viri interitus significationib⁹ plurimis denunciatus est, quas referam, nõ ut superstitione im-

pleā animos ad talia temerè credenda pronos, aut ut planè approbē præsensionem & scientiā rerum futurarum: sed ne quid huc pertinens, omissum esse uideatur. Iam primum omnium satis constat, anno antè, aut non multo secus, circiter Idus Maias, uesperi sereno cælo, uisos ardere longissimis tractibus supra Lutetiam, maximos clarissimósque ignes. Eodémque anno Layæ celebri uico, conspectum Autumno, prima aurora, antequam lux albesceret, grande insolitúmque cælo lumen magnitudine amplæ trabis. Et ibidem IIII. Cal. Ianuarias, aliquot pueros in prætorio ante ostium aulæ regiæ, præstolanteis sub multam noctem heros suos, solutis lapidibus, quibus foris ad scalas nitebantur de loco superiore in pauimentum decidisse, & partim luxatis fractísque membris, partim elisis ceruicibus expirasse. Item cometen sydus magna ex parte terrificum, & regnis exitiale apparuisse ea æstate, qua uidimus in Ambianorum & Atrebatium finibus, uires Galliæ Hispaniæque contractas. Qua tempestate Carolus Cæsar interiit cum duabus sororibus, Leonora & Maria: altera Franciæ, altera Pannoniæ Regina, quas paulo post secuta est Maria Angliæ Regina consobrina. Quin etiā eodem ferè tempore audiuimus duos Reges Daniæ Christianū & Christiernū mortuos, & nuper in Italia pontificē Romanū, & Duces Ferrariæ ac Venetiarū. Tum uerò Solimanū Turcarū regem in

in maximum periculum & extremum penè discrimen adductum, cùm eo uiuo, & spectante, duo eius filij Selimus & Bazaiethes, ante diem de hæreditate Imperijque successione, inter se magnis animis uiribúsque in media Asia decertarēt. Sed neque prætermittendum neque relinquendum somnium tuum, cùm ea plerúque cogitemus dormientes, quæ uigilantes usurpamus, & curamus: nēpe pridie quàm sauciaretur, noctu, eo tempore secundum quietem uisum maritum, tanquam interitus ei pararetur, ac mox astantes sacerdotes in uestibus cādidis cum cereis ardentibus, qui illi parentarent: & teipsam contremuisse timore perterritam. Quod in re tāta haud temerè improuisò oblatum, euentus comprobauit. Magnum uerò illud portentū fuit, quòd eo ipso die subantea quàm concurreretur, ingenuus puer sexennis qui ludos spectatum uenerat cum parētibus, uelut impos sui flēs clamitauit: Hem! Regem uolūt interficere. nec minis potuit deterreri, quin eandem uocem sæpius iteraret. Præterea audiui quendam uaticinatum, regnaturum filium maiorem intra sextumdecimum annum: quæ uaticinatio confecta putabatur, cùm Reginam Scotiæ in matrimonium duxit. Denique Gauricus astrologus Italiæ celeberrimus obseruata quinquēnio antè ipsius genitura, perinde ac si hominum fata secundum cōditiones stellarum disponantur, monuerat per literas, ut circiter unum & quadragesimum ætatis annum uitaret duellum,

astra minari vulnus in capite, quod uel cæcitatem uel mortem continuò afferret. AC MIHI quidem in hæc intuenti, quærendum esse uisum est, quidnam causæ sit cur nullus ferè ortus aut interitus illustrior, nulla unquam magna rerum mutatio acciderit, quam non eiusmodi præsagiis, signis, portentis, uaticinationibus, uisis somniorum antè significatum uideamus, si omnis æui antecedentis memoriam replicemus. An æternis causis naturæ necessitate manantibus fieri cuncta consertè, contextéque dicemus? aut fortè, temerè, casu euenire fatebimur? At multa in nostra uoluntate, studio, disciplina esse posita, cùm ratio humana monstrat, tum sacræ literæ comprobant. An passim astrologis in omnibus prædictionibus, & notatione uitæ ex natali die credendum? At quota quæque pars euenit prædicta ab illis? An uerò in animis habemus præsagiens quiddam & diuinum, quod consentiente authoritate humani generis, omnium approbatione gentium confirmatur: hoc populi, hoc gentes, hoc Græci, Romani, Hebræi, Christiani, hoc barbari semper, & ueteres iam usque ab heroicis temporibus putarunt, qui nihil ferè maioris rei sine diuinatione, ne priuatim quidem, gerebant. Hoc summi philosophi uiderunt, hoc poetæ, hoc sapientissimi viri, qui respublicas condiderunt: postquam cognitum est multa prospecta ab aruspicibus, prouisa ab auguribus, oraculis edita, à uatibus prædicta, qui-

bus

bus immenso tempore obseruatis, & significationibus euentuũ animaduersis ac notatis: multæ posteà res hominum sententia atque utilitate sæpè partæ, multa etiam pericula depulsa sunt. An cùm diuina mente mundum regi, & Dei benignitate in hominum consulere generi credamus, non putabimus illum principem Deum omnia nutu regentem, posse significare futura, & à quibusdam intelligi prædicique uelle? Immò uerò exempla præteriti temporis & hodierni diei satis docent, illum nos nostráque tãtoperè curare, ut quoties in rebus mortaliũ uult fieri uel status publici conuersiones inclinationésque, uel religionis mutationes, uel clades aliquas ac uastitates: ostendat perspicienda earũ signa in cœlo & syderibus, in elementis, in stirpibus, in bestiis cicuribus & feris, in belluis marinis, atque adeò in hominibus ipsis, non solùm cùm appropinquant, aut iam planè instant: sed plerunque multis antè seculis prænuntiet futuras. Ac quotiescunque eiusmodi signa uisa sunt, satis constat nunquam frustra apparuisse. In primis autem satagit Deus Regum & virorũ illustrium: in quos ferè nihil sine fati omine immittit, dans quotidie multa præclara sue erga illos uoluntatis testimonia. Eóque magis, quòd nihil est illi virtute præstanti acceptius, nihil in terris gratius, quã cœtus hominũ iure sociati, & horum rectores atque conseruatores,

Inventas aut qui uitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo.

Nec uerò quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullum diuinum numen exiſtimat, quem neque ornatus mundi, nec cæli motus, nec uarietas & diſtinctio ſyderum, nec uis & magnitudo maris, atque terrarum, nec uiciſsitudines rerũ atque ordines mouẽt. Nemo uſque eò tardus eſt & hebes, quin oculos surſum tollens, cùm impetum cæli admirabili celeritate moueri uertíque uiderit, cùm ortus & occaſus ſyderum, ac ratos in omni æternitate immutabiléſque curſus obſeruauerit: Solem diffuſa luce diem efficiẽtem aſpexerit, & nocte terras opacante, cælum totũ aſtris diſtinctum & ornatum: Lunæ luminum uarietatem tum creſcentis, tum ſeneſcentis, & eius ortu aut obitu æſtus maritimos fretorũque anguſtias ſcierit commoueri: uim ignis uitalem per omnem mundum pertinentem: Aëra ſpiritu ſuſtentantem animantes: tum effluentem huc & illuc uentos efficere, tum extenuatum in ſublime ferri, concretúmque poſteà in nubes cogi, ex quibus imbres, niues, grandines, tonitrua, fulgur, tempeſtates: Mare reciprocantibus undis oras allatrãs, & cæteras fundens recipiẽſque aquas, nunquam redundare aut effluere: Terram undique in ſeſe nutibus ſuis conglobatam, ueſtitam herbis, floribus, arboribus, frugibus: fontium ſcaturigines, fluminum perennitates, montium altitudines, ſaxorum aſperitates: uenas argenti, auri, ferri, cæterorúmque metallorum: ſpatia camporũ feracium, ſerendi, colendi, demetendíque tempora, om-

omnia quæ in illis sunt, hominum causa facta, & ad eorum fructum parata: Nemo est, inquam, tam auersus à vero, tam præceps, & mente captus, quin hæc considerans dubitet fieri ac gubernari ratione quadam excellenti, nec potuisse tandiu omnibus inter se concinentibus mundi partibus permanere, nunquam in illis mentiente immensa & infinita uetustate: nisi vno diuino & continuato spiritu continerētur. Viget, uiget profectò mens diuina & prouidentia in hoc tanto naturæ præclaróque motu. Hæc est quæ permultas attulit fœlicitates atque opes huic regno, orbis terrarum nobilissimo, & antiquissimo. Quæ illum Regem nobis dederat, tecúmque coniunxerat: quæ illum extinxit ac sustulit, cùm tollendum esse statuisset. Et quoniam nil nisi summo consilio, nil nisi ordine administrat, nil nisi statis diebus horísque efficit: pium est existimare illā viro tuo optimè prospexisse. Qui quandiu fuit inclusus in his compagibus corporis: munere quodam necessitatis, & graui opere perfungebatur. Nunc verò eiusmodi uinculis ac compedibus, & tanquàm è custodia emissus, labores morte finiuit graues. ETENIM uti constamus ex animo & corpore, ita res cunctæ studiáque omnia nostra, alia corporis, alia animi naturam sequūtur. Et quia animi propria est ratio, corporis cupiditas: quæ pugnant inter se continenter, dum illa cuius est imperium vult præesse, hæc quæ debet obtemperare

resistit fit ut per totam uitam multis difficultatibus conflictemur. Animus quidem immortalis corpori mortali cum necessitate ad tempus insitus est, non aliunde ad hominem nisi à Deo ueniēs: cuius est proprium uigere, sapere, uelle, cogitare, ratiocinari, contemplari, præterita tenere, futura prouidere, & præsentia complecti. Quæ munera diuina sunt, uelut ipsius uis atq; natura, omni cōcretione soluta, & motu prædita sempiterno: tum demum uerè pura, & integra, & sapiens, quum ex insipiēti corpore euasit. Atque in eo lōgè fallimur, nos putātes eos esse, quos forma humana declarat. ossa enim quæ uidentur circūuoluta neruis, & obducta cutis, ac vultus manúsque ministræ, uincula sunt animi, ac tenebræ quibus obruitur & inficitur, à ueris in falsa cōiectus: Sed potius arbitrari conuenit, unumquemque nostrum animum ipsum immortalem esse, semper illò nitentem unde dimissus est, ubi illum æterna requies manet, pro confusis crassisque pura & liquida referentem. Ergò cùm animus sit ex uniuersa mente diuina delibatus, atque ex altissimo cœli domicilio huc demersus, quanquā inclusus in corpore uelut in carcere, eminet foras quātum potest, & sursum spectās, cælestia & diuina contemplatur, quibus propter cognationem quammaximè nititur inhærere, ut eorū ordinem imitetur uitæ modo atque cōstantia. Quæ affectio à Platone prīcipe ingenij doctrinæq; Sapiētia nominatur. CORPVS cōntrà, quoniam ex terreno

reno principiorum genere efficitur quaſi uas, aut aliquod animi receptaculum. ad quod perpetua fit tum acceſſio tum abſceſsio, ſua contagione tantam in ſe habitantem diuinitatem polluit aciem mentis perſtringens, ac ſæpius offuſis perturbationum tenebris lumen ipſius propè extinguens. Quarum prima est uoluptas eſca malorum, deinde dolor fuga bonorum & impeditio, tum amor ex utroque mixtus omnia perrumpens: audacia præterea, metúſque, conſultores amẽtes: pòſt, ira implacabilis & ſpes fallax, & reliqui motus comites ſuperiorum, hiſq́, etiã contrarij diſsidentes. Quos animus, in tanta caligine, uix poteſt regere conſilio atque ratione. Nullum eſt enim ſcelus, nullum magnum facinus, ad quod ſuſcipiendum uel neceſsitas corporis alendi, uel libido delectandi non impellat. Quippe ad ſeditiones, ad bella & pugnas, non aliud quàm corpus, eiúſque cupiditas, incitat: quæ potiſsimùm ſuſcipiuntur ſtudio pecuniæ cuncta diuina & humana peruertentis, quam tamen quærere cogimur ut corpori commodemus. Adde morbos ſingulis ipſius partibus & mẽbris, cum acerbiſsimis dolorũ facibus, horis omnibus minantes, & impendentes. Quibus in difficultatibus moribuudi agimus paucos annos: donec omnino efflamus animam, quod mori dicitur, quum uerius ortus ipſe & tota noſtra uita mors ſit. Scitè enim Manilius poeta:

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Itaq, aiunt Silenũ, cùm à Mida rege Phrygiæ captus esset, id muneris pro sua missione dedisse, docentem regem, non nasci homini longè optimũ: proximum autem, quamocyssimè mori. Nec uerò mihi propositum est hoc loco deplorare uitam humanam, eámue efficere miseriorem, enumerandis eius incõmodis: quæ sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec uitare uenientia possint, nec ferre præsentia: Sed declarare quantum boni acciderit Regi nostro, quem putamus ex labore ad quietem, ex tenebris ad lucem, ex mortalitate ad æternitatem, ex molestissima hac habitatione in cælestem & planè suam domum remigrasse. Sic enim nobis persuasum esse debet, mortem hanc non interitum esse cũcta delentem, sed migrationem, commutationémq; uitæ, quæ excedentibus è corporibus animis, si rectè honestéque in hoc cõmorandi diuersorio uixerint, dux esse soleat in cælum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Qui uerò se uitiis atque flagitiis inquinauerint, his deuium quoddam iter esse ab illo beatorum concilio cœtuq; seclusum. Quæ quidem persuasio non institutis, aut moribus, aut legibus constituta est, sed sine doctrina in animis nostris à Deo & natura insculpta: Alioqui non tam stabilis permaneret nec confirmaretur diuturnitate tẽporis, nec cum seculis innumerabilibus inueterare potuisset Idcirco omnium gentium generúmque homines illam confitentur, non solùm qui incolunt hunc orbem

subiectum

subiectum Aquiloni, & illum alterum Australē, adūersa nobis uestigia urgētes: sed qui medium ab antiquitate putatum solis ardore torreri, & extremas oras quæ cæli uerticibus ex utraque parte subiectæ obrigent pruina. Nec solùm docti & ab humanitate exculti, sed immanitate efferati, & uagi, ut Tartari & Arabes, & in has terras nuper repertas tandiu sepositi & latentes. Illam antiquissimi mortalium habitu Æthiopes, Scythæ, Indi, Ægyptij: illā Hebræi, Christiani, Saraceni una mente consentiunt: illam natura & necessitas causarum, uita, pietas, & dignitas hominis, Dei prouidentia cōfirmant, omnia sursum deorsum docent & clamant: religiones, cerimoniæ, sacrificia solennia, preces publicæ, templa, delubra restantur: quæ nunquam instituissent tot populi, locis, linguis, moribus, ritibus inter se maxime diuersi, aut instituta tanta cura coluissent: nisi hæsisset in eorum mentibus, & hunc mundū Dei nutu atque potestate administrari, & animos in excessu uitæ superesse, & rectè secus ue factorum præmia pœnásque alibi expectandas. Quibus sublatis & fides, & iustitia, & societas humani generis rolleretur, plurimū m adaucta uitæ perturbatione atque confusione. In qua si morari longius molestum est multis, haud scio an ullis magis quàm principibus: qui quāto celsiore in fastigio collocantur, tanto grauioribus casibus obnoxij sunt. Plerique mirantes eorum copias, opes, maiestatem, dominatus, rerum abundantiam, ma-

gnificentiam ædium, frequẽtia atria, lacunaria ebore fulgentia, abacos ornatos auro argentóque cælato, uasa pretiosa, mensas conquisitissimis epulis extructas, uestes egregias, beatissimos putant: sed propiùs in eorum uitam inspicientibus atque inquirẽtibus, suspecta atque solicita omnia semper occurrunt. Hoc autem unde rectiùs discamus quàm ex eo Dionysio, qui duodequadraginta annos Syracusanis imperauit? Qui aliquando uni ex aulicis beatitudinem eius impẽsius extollenti, & quoniam uita regia se diceret delectari, fecit potestatem eius degustandæ, & fortunæ suæ experiundæ. Itaque iussit hominem egregiè ornatum epulis accumbere, eique ad mensam more regio ministrari: deinde in medio conuiuij apparatu fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum, demitti, ut impendêret illius ceruicibus. Qua re declarauit, nũquam uerè beatam principum uitã, cui semper aliquis terror uel externus, uel domesticus impendeat. Solon Græciæ sapiẽtissimus postquam Atheniẽsibus leges sanxit, captus desiderio alienas terras lustrandi, profectus est Sardeis ad Crœsum Regem Lydiæ illis tẽporibus totius Asiæ ditissimũ. A quo benignè exceptus est, tertioq; aut quarto quàm uenerat die circunductus est iussu ipsius per omneis Regiæ thesauros, per aurata tecta & sola marmorea, per multam & lautam & magnificam supellectilem, cæteraque illic admirationem habentia, quæ sunt in casu & fortuna, & eripi possunt,

sunt, aut temporũ permutatione mutatur. Pòst Crœsus sciscitatus est, ecquem uidisset omnium beatissimum: arbitratus uidelicet se inter homines illũ esse. Respondit, Crœsum ualde diuitẽ, & multorum hominum Regem, sed non sibi uideri beatũ antequam è uita excessisset. Magnifica uerò uox, & magno uiro & sapiente digna: quæ ostendit de inuentium fœlicitate nihil temerè iudicandum, ne aut inuisa Deo immortali uerba nostra, aut ingrata esse uideantur. Expectandũ nimirum ubi anima naturæ cesserit: quo tempore sublata omni fortunæ potestate, demptâq; inuidiæ obtrectatione, ipsa se uirtus magis magisque extollit. QVAMOBREM, quoniam hæc fœlicitas Regi nostro nunc obtigit, decet illius memoriam beneuolentia potius, quàm misericordia prosequi. Nã si id dolemus, quòd eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum, quod modicè feramus, ne id nõ ad pietatem erga illum, obseruantiámque, sed ad utilitatem nostram referre uideamur. Sin tanquam illi liberato uitæ humanæ malis aliquid acerbitatis accideret, angimur, eius fœlicitatem extra omnem aleam positam, non satis grato animo interpretamur. Porrò autem qui fuit illius in te amor, bonitásque in omneis, te cruciari longius non uult: sed potius ut mentem à luctu ad ea quæ te digna sunt, tractanda traducas, sicut adhuc magna tua cum laude cœpisti. Da hoc tot gentibus, quæ in tuis consiliis conquiescunt: da subiectis populis, qui tuo dolore

mœrēt: da denique Franciæ ipsi, quæ dum filius maturior fit imperio, se fidei tuæ potestatíq; potissimū commisit. Nam tametsi virtus inopinatè, & immaturè, & uiolenter decessit: uiuit tamen in tot liberis magnæ spei, uiuit in hominum mentibus & sermonibus per uirtutem, & memoriam rerum gestarum: quæ extincta non est, nec solùm celebrabitur à uiuis, sed posteris erit clara, & insignis. Viuit, ut arbitramur, in beatissimum animorum concilium cœtúmque profectus, & eam quidem uitam uiuit, quæ est sola uita nominanda: nempe diuinam, sempiternam, sapientem, nulla re egentem, cupiditatum & æmulationum expertem, procul omnibus solicitudinibus & calamitatibus, quas inclusi in mortali corpore cogimur perferre, donec curriculum uiuendi confecerimus, quod natura nobis dedit non perpetuum, sed ut cuique fati dies præscriptus est.

QVAPROPTER, Regina, exurge supra dolorem tuum, quæq; deceant lumina rerum, circūspice. Vides ad quam dignitatem euecta sis, quem locum teneas, ut tua dicta factáque omnes obseruent, te tanquā numen intueantur, in quo nobilissimi antiquissimíque regni salus nitatur. Summa profectò in expectatione te esse non ignoras, eáque à te expectari, quæ à fœmina summæ uirtutis summæque authoritatis expectanda sunt. Suscepisti onus præterea graue reipublicæ regendæ: quæ per tot continua bella, multa perdidit & ornamenta dignitatis, &

præsidia stabilitatis suæ. Moderanda uectigalia & expensæ, recreandæ prouinciæ expilatæ & exhaustæ, equitum peditúmque ordines resarciendi, iuris dicendi ratio magistratuúmque descriptio stabiliẽda, religio componenda: omnia quæ dilapsa iam fluxerũt seueris edictis optimísque institutis uincienda, omnia excitanda quæ iacent, tot acceptis calamitatibus perculsa atque prostrata, curanda Martis vulnera, sanandæ regni partes ægræ ac labantes, uidendum etiã atque etiam ne cætera decora, maiorum uirtute parta, incuria deformentur, aut corruant infirmata. Tuæ sapientiæ oblata est tempestas difficillimi temporis. Sed ueluti maiore laude prosequẽdus, qui maximis turbinibus ac fluctibus nauem gubernat, saluámque in portu collocat, quàm qui eandem rectam tenet prospero cursu in malacia & tranquillitate: Sic administrantium rempublicam virtus magis illustratur in affectis rebus, quàm benè constitutis. Adsunt tibi tot lectissimi homines belli & pacis artibus instructissimi, qui consilio operáque sua adiuuabunt.

QVARE omnes obsecramus ut dignitati tuę, liberorum utilitati, popularium saluti consulas: ut tandem omni ditione tibi filióque tuo fœliciter constituta, quoad magis fuerit idoneus per ætatem ad regendũ Francia tuis institutis acquiescẽs in affluentibus omnium rerum copiis, summa tranquillitate otióque diutissimè perfruatur.

FINIS.



LVD. REGII CONSTANTINI,

QVOD OMNIA INFRA LVNAM, præter animos cælitùs demissos, mortalia sunt & caduca, perpetuæque mutationi obnoxia, & quòd nulli vita fragilior quàm homini: de cuius præstantia & miseria multa in utramque partem disseruntur repetita è media philosophia, ac probatur in tãtis malis, quibus subiectus est, mortem illi non esse deprecandam, sed potius confidenter obeundam & fortiter ferendam, uelut necessitatẽ naturæ, aut laborum ærumnarúmque quietem, aut commutationem uitæ fœlicioris.

SÆpenumerò mirari soleo tum cæterarum rerum in hominibus inscitiam, tum uel maximè quòd paucissimi eorum aut excellente ingenij magnitudine, aut pręclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati studeãt seipsos nosse: sed pleriq; omnes uelut temerè fortuitóque fati ac creati ætatẽ per summã socordiã agãt, & prauis cupiditatibus occæcati antè moriantur, quàm intelligere potuerunt, quam ob rem in vitam uenissent. Quòd si illis sapientiæ tanta cura esset quanto studio caduca, breuia, incerta, fugacia, mobilia consectantur: profectò expectando & desi-

desidetando non semper miseri animis penderent, nec cogitationibus stultis effœminatentut, aduersa quæque tum uenientia metu augentes, tum mœrore præsentia: sed tota ui bene uiuendi posita in uirtute, & rerum humanarum cõtemptione, à corporum obsequiis indulgentiáque planè discederent, & doloris mortísque timore sublato (quorum alterum sępè adest, altetum semper impendet) mentem, qua nihil melius, neque præstantius aliud in natura mortaliũ, ritè excolerent, & pura religione uetóque Dei cultu suscepto procederent eò excellentię, ut adhuc in terris uitam cælestem imitãtes, propè diuini & immortales fierent. Qua de re cùm multa sparsim libro superiore dixissem, non alienum esse putaui, si quę huc pertinerent, altius tepetita vberius explicarem, & tãquam Corollarium aut appendicem Consolationi adducetem. Ostendam primùm qua ratione omnia hæc inferiora perpetuæ mutationi sint exposita, unde generentur, quò recurrant: quid in mundo mortale & caducum, quid diuinum & æternum. Cùm hæc docuero: tum ostendam hominem vnum omnium maximè fragilem & imbecillum, & quanti constet illi dominatus principatúsque in alia omnia delatus. Qua èx meditatione conditionis humanæ me effecturum spero, ut cùm dies & nocteîs omnia nos fata undique circunstẽt, mortem, quam passim uelut horribilem ac formidolosam deprecantur, vitæ potius humanæ misetæ multúmque iactatæ portum ac

perfugium existiment. ERGO commune est omnium incipientium rerum, ut ortæ occidãt, & auctæ decrescãt, vt frigore, vel calore, uel aliqua impulsione vehementi labefactẽtur, aliæ ocyus, aliæ serius secũdum vires earum seminibus insitas, ætatésque singulis ad uiuendum datas. Antiquitas putauit treis Parcas necessitatis filias omni vitæ præesse. Lachesin inchoare, Clotho seruare, Atropõ finire, ac nendo quidem ducere spatiũ viuendi unicuiq; concessum: ut quod in fuso perfectum est præteritum tẽpus indicet, quod torquetur in digitis præsens, & quod nondum ex colo tractum, digitísque subactum, futurũ & insequens ostendat. Quibus temporibus omnia contineantur: præteriti esse ortum, præsentis statum, futuri dissolutionem. Alij maiora spectãtes, Lachesin esse uoluerunt cælestem naturam altissimam, ex qua inferiora cuncta uices ortus & interitus sortiuntur, fata quæque vitam ducunt, perpetuo cæli motu, ac luce illinc manãte, & calore lucis sobole excitata: Calore inquam non igneo, non aerio, sed cælesti, sicuti lux cæli propria est qualitas, efficacissimo illo quidem maximéque salutari, omnia penetrante, fouente, moderãte. Vnde effluere vim quãdam à Stoicis Mentem vniuersi nuncupatam, agitantẽ primùm ignem & aera, deinde aquam & terram: quæque ex his quatuor efficiũtur, cùm homines, tum bestias, uolucres, natantes, agrestes, cicures, feras, tum stirpes, lapides, metalla: originem suã progressionémque cũ-

ctis

ctis eò referétibus, quò etiã resoluta planè reddatur.

Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, & ad sua sęcla recedunt.
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit, & ignem ignes procudunt, ætheráque æther.

Quod & Hippocrates attigit, affirmãs, homine animam agente singula in propriam naturam discedere, atque in ea redire ex quibus unumquodque constaret. Per Clotho intellexerũt stellas errantes & inerrantes: à quibus orlẽtes ita animaremur atque formaremur, ut quisque ingenia, mores, actiones uitæ, casus, euentúsque acciperet. Per Atropon, fatalẽ & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: quia nihil aliter posit fieri, atque à Deo constitutum est: tametsi multa nec opina uideantur propter obscuritatem ignorationémque causarum. Eã porrò naturam esse omnia gignentium corporum, ut cùm sursum deorsum, ultrò citróque indesinenter commeent, & alia ex alijs oriantur, ac uicissim propter principes qualitates inter se dissidentes immutentur, nihil diutius uno & eodem statu esse possit, sed cuncta continenter nascantur, occidant, fluãt, labantur. Quibus omnibus substantia quædam cõmunis subiecta sit sine ulla specie atque carens omni qualitate, expers ortus atque interitus: ex qua omnia exprimantur, & in quam deinde recipiantur: dũ ab illis utique ingredientibus, & exeuntibus iugiter agitatur, atq; formatur. Ac natura quidẽ perlibenter sin-

F

gula immortalia fecisset, sed quia per infirmitatem materiæ non licebat, id in generibus quæ perpetuari uidemus, molita est quoad eius fieri potest, prole nouа mundum semper frequentans, & labentia secula cupidè propagans, ne quando vacuo æuo torpeant. Interim uerò mens illa quam suprà demonstraui fusam per vniuersum, retinet elementa aptissimo uinculo atque pulcherrimo colligata, sic ut sese concordi amicitia & charitate complectantur: quæ & ipsa syderum circuitus obseruent, maximè Solis ducis & principis & moderatoris reliquorũ, præclari, eximij, cuncta sua luce lustrantis: qui oriens & occidens diẽ noctémque conficit, & modò recedens tristitia contrahit terras, tum autem accedens uicissim lætificat: unde anni semper renascentes, quadripartitæque tẽporum mutationes aptæ ad constitutionem omniũ rerum, & temperationem. Superiora certè sunt simplicia & semper uniusmodi, immutabilia, infatigabilia, inuiolabilia: inferiora autem mortalia & caduca, præter animos hominum generi munere Dei datos: composita dissoluuntur, dissoluta componuntur, perpetua adiectione diminutionéque laborant, oriuntur, crescunt, extinguuntur, inæqualibus spatiis eôdem cuncta demittũtur. AT homo ad cuius commoditates & usus alia omnia sunt creata, multò maximè fragilis est, uidelicet inter tot periculorum genera, tot morbos, tot mortis casus, tótque curas, magna & sæua mercede comparata sua præstantia:

stantia: ut difficile sit intellectu, utrum parens ei melior natura fuerit, cùm cætera animantia subiecit, tantámque ingenij solertiam largita est: an tristior nouerca, perpetuis malis tanta munera rependens. Homerus antiquissimus scriptor, & poëtarum maximus, dicit Aten, id est calamitatem, Deam turbantem cælum, eámque ob causam deiectam illinc à Ioue in terras, vbi

πάντας ἀᾶται

οὐλομένη. τῆς μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες, οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει

πίλναται, ἀλλ' ἄρ' ἥ γε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει

βλάπτουσα ἀνθρώπους. videlicet molestias & errores perpetuos creando. Quid, quòd Hesiodus Homero posterior, carminibus Græcis & ipse vaticinatus est, homines diu simplicissimè uixisse in summa rerum abundantia quas sponte tellus ferebat, procul malis, procul laboribus, procul curis procúlque mor bis senium afferentibus. Sed posteaquam Prometheus Iapeti filius ignem cælo mala fraude subductum mortalibus intulit, Iouem iratum ob id furtum, nos cumulasse tot molestiis, semotique prius lethi tardam necessitatem corripuisse: subornata ad fallendos mortales Pandora, quæ demissa in terras, & recepta ab Epimetheo aliter atque à fratre Prometheo admonitus fuerat, mox uas ingens quod secum detulerat, aperuit, unde exilierunt mala innumerabilia, sola Spe in uasis labris subsistente, quòd operculū antè oppositum est, quàm posset euolare:

Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα·
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, αἳ δ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.

Prometheum uerò fraudis admissæ pœnas pendere, relegatum per Mercurium ad Caucasum montem Asiæ altissimũ asperrimúmque, & annexum saxo ibi vinctum. Eò aduolantem aquilam singulis diebus iecur hominis noctu renouatum, dilaniare, corpus eius perenni miseria fœdantẽ. Prisci, quibus fuit studium latentem in fabulis ueritatem inuestigare, Ignẽ exposuerunt calorem in omni fusum natura: in quo procreandi uis, & causa gignendi, à quo & animalia omnia, & ea quorum stirpes terra continentur, aluntur, crescunt, conseruantur, sustinentur. Qui quādiu remanet in nobis, tandiu sensus & uita remanet: refrigerato autem eo & extincto, occidimus ipsi & extinguimur. Aquilam, huius uitæ curas, & quotidianas solicitudines nos exedētes: à quibus uacuus nocturno tempore secundum quietem est animus, interim seipsum colligens, & reficiens. Spes autem idcirco substitit in uase, quòd mens humana semper in futurum agit suspensa & anxia. Quæcunque enim in uita cogitamus ac molimur, ex spe cūcta pēdent. Pueri parant se iuuentuti, hæc ætas senectuti, senectus ulterius mittit cogitationes: nil agimus nisi cum expectatione. Abdala, unus è sapientibus Arabum, aliquando interrogatus quid præcipuè in hoc orbis ter-

ræ

ræ theatro mirabile spectaretur, respōdit, nil homine mirabilius spectari. Cuius astipulator Mercurius Trimegistus scripsit, hominem maximū esse miraculū. Constat præclara quadam cōditione generatum ad Dei imaginem & similitudinem, quasi ipsius gentilē & cultorem, & imitatorem, qui consideraret admirabilem naturæ fabricam, qui contemplaretur ordinē cælestium, & medium terrarum globum tueretur. Hunc diuinitate mētis ornatum, cum ueri & falsi iudicandi, discernendíque boni & mali scientia: cū prudentia intelligēdi principia & causas rerū, quid quāque sequatur, quídue sit cuique contrarium, & cum memoria qua recordetur præterita, & præsentibus annectat futura. Hunc participem rationis: cuius ui alius alij concilietur & ad orationis, & ad uitæ societatem. Eius ingenio datam figuram corporis aptam cum plurimis singulorum membrorum internorū & externorū opportunitatibus & habilitatibus: quarum comites sensus & affectus. Hunc acutum, prouidum, sagacem, ad intelligendum & agendum natū, solum ex tot generibus animantium, quorum principatum teneat, notitiam præpotentis Dei conditoris sui habere: reliqua abiecta ad pastum, uel iacentia in terra, uel mersa vndis, uel in aëre pendentia: hunc erectum, ad cælíque quasi cognationis conspectum excitatū, supera, infera, prima, ultima, media cernere, cùm in primis ipsi⁹ propria sit ueri inquisitio atq; inuestigatio. Cęlū, sydera, terras, aquas animātes, sur-

pes,lapides,metalla omniũque rerũ naturã perſpicere,& ipſum cũcta moderantẽ Deũ ac regentẽ contẽplãdo penè prehẽdere:ad eum in quotidianis negotiis & mediis miſeriis cõfugere,ab eo auxiliũ implorare,eo uenerãdo,& religioni ueræ parendo,aſpirare ad beatitudinẽ immortalem. Ab hoc leges moréſq; cõſtitutos,tum iuris æquam deſcriptionem,certámque uiuẽdi diſciplinam,per quam benè beatéque uiuitur. Quid enumerem tot arteis eius, tantas ſcientias,tot inuenta: quibus paret ea quæ ſuppeditent & ad uictum & ad cultum? Quocirca meritò principẽ locum tenere in hoc mundo uidetur:qui & ipſe paruus mundus dictus eſt à multis, quandoquidem eadem quæ in vniuerſo inſunt uniuerſa, in eo reperiũtur.Sunt ignis,aër, aqua, & terra inter ſe temperata, reapſe in hoc corpore concreto. Eſt ſpiritus tenuior & diuinior elementis,cælo,ut ait Ariſtoteles, analogia ſeu proportione reſpondens, & animã cum corpore copulans: eſt uita ſtirpium eiſdem muneribus fungens generandi,alendi,augendi:eſt ſenſus brutorum tam internus quàm externus: eſt animus ratione pollens: eſt mens diuinitus adiecta, incorporea, impatibilis,immortalis: eſt earum omnium naturarum ſimul confluentium conſenſus: huic inferiora famulantur,ſuperiora fauent. Sed ne dotibus his ſuperbiamus, aut inſolentius de nobis gloriemur, impediunt è contrario miſeriæ, in quibus uitam trahimus ab ipſo lucis rudimento. Primùm unus homo animan-

animantium cunctorum nudus nascitur, cùm cætera protinus uitæ principio natiuis uariè tegumentis à frigoribus & à calore defendantur: quæ & ipsum superant corporis robore, pernicitate, uelocitate, sensuum uigore, & ætatis diuturnitate. Vnus statim ad vagitus ploratúsque abiicitur, unus continuò pedibus manibúsque deuincitur, tãquam à supplicijs uitam auspicans. Deinde satis constat non fari, non ingredi, non uesci, nisi edoctum. Postremò sub ingrauescentem ætatem, in quam cõfluit quicquid est infirmũ & fragile naturæ: videmus hebescere sensus, membra torpere, deficere uires, præmori uisum, auditum, incessum. Hinc senem morosum, & anxium, & iracundum, & difficilem, & odiosum, sibíque & alijs intolerandum: tandem nec sentire, nec sapere, si longius ætate progrediatur, eúmque rursum repuerascere: quæ res eum miserè ridiculũ facit. Huc accedũt diuturnæ corporis & animi molestiæ, egestas, infamia, seruitus, exilium, amissio suorũ, luctus, orbitas, solitudo, cæteræque ærumnæ omnibus horis in apertam ipsius perniciem incurrentes. Vnde illi uersus Euripidei à Cicerone uersi:

Mortalis nemo est quem non attingat dolor,
Morbúsque multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi: mórsque est finis omnibus,
Quæ generi humano nequicquam angorem afferunt.
Reddenda est terræ terra, tùm uita omnibus
Metenda ut fruges. sic iubet necessitas.

Et Homerus ubi omnium animantium genera contemplatus esset, eorúmque uictus inter se cõtulisset, exclamauit, omnium quæ humi serperent & spirarent, calamitosissimum esse hominem: principatum haud sanè fœlicem illi tribuens, ut in expendendis malis primas teneat. Quid referam uaria uenena exitij tam præsentis? tantam difficultatem in uictu parando, tantam curam in serendo, colendo, demetendo, condendo, reponendo? vt segetes effundant herbas frugibus inimicissimas, à quibus necentur, ut vredo herbis, leguminibus & fruticibus incommodet: syderatio & uermiculatio arboribus: carbuncul9 & articulatio uitibus: putredo fructibus cibísq;: caries lignis, rubigo metallis, tineæ uestibus: ut ęstus & rigor cæli afferant morbos pecudibus procreatis cùm ad uescendum & corpora uestiẽda, tum ad cultus agrorum & ad uehendum: ut noceant ignes incẽdiis, aquæ eluuionibus & naufragiis, ædificia ruinis? Ad summã, ne agam de singulis: cùm omnes undique bestiæ, feræ, & cicures insidientur, omnia undiq; pericula immineant: plura tamen homini ab homine, quàm à cæteris mala inferuntur, uidelicet calumniis, litibus, factionibus, furtis, rapinis. Cúmque cætera animalia quæ rationis expertia dicimus, in suo genere probè degant, congregentur, & stent contra dissimilia: tamen homines non modò locis, linguis, ritibus, imperiis disiuncti: sed etiam eiusdem gentis, nationis, linguæ, religionis, & sæpè ciuitatis, odiis mutuis

mutuis flagrantes, spreta communitate societateque humani generis, bellum, quod unum omnium scelerum colluuionē inuehit, alij alijs faciunt, per iram & cupiditate sese omni diritate, crudelitate, immanitateque teterrima nefariè lacerātes. Quorum reputatione efficitur, neminem mortalū esse fœlicē, sed præclarè atque indulgenter fortunam decidere cum illo, qui iure dici non infœlix possit. Atque eo etiā magis, quòd nihil homini sine labore obuenit, nihil sine solicitudine seruatur, & quicquid datur incertum ac breue est, etiam his quibus largissimè contingit, vniuersum utique æui tempus intuentibus. Quæ enim ætas longa est? aut quid omnino homini longum? aut qui ipsius anni unius tantummodo astri reditu numerati, si magno anno & uerè uertenti comparentur? cùm cuncta astra ad idem redierint, eandémque cœli totius descriptionem longis interuallis retulerint, uniuerso numero tēporis perfecto. Sed quid ego ſ cur loquor de hominibus, cur queror de eorum miseria & fragilitate? cùm tot urbes quondam florentissimæ longa annorum serie, multisque laboribus structę, taceant dirutæ: quarum cadauera nulla, ac ne nomina quidē supersunt: cùm Imperia multa ac regna longè latéque rerum potita, quæ tanta indole creuerant, uel desidia successorum labefactata, uel bellorum iniuria euersa, uel uetustate, à qua nihil tutum est, paulatim imminuta corruerint, prouinciæ totæ cum gentibus ac nationibus cō-

ciderint, siue ingenti terræ motu concussæ, siue eluuionibus haustæ, siue exustionibus vastatæ. Quas mutationes aiunt lege mundi necesse esse accidere statis temporibus, cùm ad motum primi cæli, unde motus reliqui inferiores & omnis natura pẽdet, tum ad errantium syderum coniunctiones, & separationes: quibus elementa, & quæ ex elemẽtis constituũtur, præcipuè parere suprà demonstraui. Quam cæli cum terris societatẽ Democritus nobilissimus physicus primus inuenisse ostendisséque fertur. Nimirũ hanc esse rerum humanarum continuam uicissitudinẽ, quæ eôdem ἐν χρόνῳ πολλῷ πολλάκις, μᾶλλον δ' ἀπειράκις, ut ait Aristoteles, recidãt, uel quòd materia ad similitudines edendas est facilis, uel quòd ex quibusdam terminatis numeris series rerum cõnexa existit: quẽadmodum Pythagoræ primùm, deinde Platoni placuit. Ac, ne longius à proposito aberrem, mundi etiã interitũ expectamus, & diem quæ tandem hoc uniuersum omnia diuina & humana complectens dissipet, & in confusionem ueterem, tenebrásque demergat. Et erimus tam supetbæ arrogantiæ, ut uelimus in hac necessitate naturę omnia ad unum finem reuocãtis, nos nostrósque seponi, & à ruina ipsi mũdo imminente, locum aliquem nobis subtrahi? aut stultitia aberrabimus usque adeò, uti prę̃sidiũ aliunde non quæramus ad beatam uitam, sed spẽ omnem fœlicitatis ponamus in rebus interituris & labẽtibus ac fluentibus continenter? Quarum mobilitatem & incon-

inconstantiam consyderans ille non intelligendi solùm, sed etiam dicendi grauissimus authot & magister Plato, contemplando processit eò diuinitatis, ut firmissimè asseueraret, nihil esse quod orietur & interiret, idque solum uerè esse quod vnũ semper atq; idem est, neque ullum habet ortum, & ratione intelligentiáque continetur. Qualem statuebat æternam substantiam, quæ constanter in suo statu manens neque senior seipsa sit unquam, neque iunior, neque recipit eorum quicquã, quibus res corporeæ mobiléique conditione generationis subiiciuntur. Quæ sunt species temporis imitantis æuum, séque numero identidem reuoluentis. Tempus autem cum cœlo incepisse, ut simul orta simul etiam dissoluantur. Cætera alternis uicibus ortus & interitus uanantia, rationis expertia, opinionem dũtaxat afferre per sensus, ideóque omnino opinabilia haberi, eorum nec artem nec scientiam institui posse, sed uniuersorum quæ semper eadem & eodem modo essent apud omneis, quæ maximè secundum naturam, quæ in unũ exitum spectarent, & nunquam fallerent. Omne iudicium ueritatis, ueritatémque ipsam abductam ab opinionibus, cogitationis ipsius & mentis esse. Itaque oportere eum qui intelligentiæ sapientiæque se amatorem profiteatur, conquirere primas causas sapientis naturæ efficientes cum intelligentia pulcherrimorum atque optimorum: deinde secũdas earum rerum quæ necessariò mouent, cùm ipsæ ab aliis mo-

ueniunt, quæ prudentia uacantes, inconstantia perturbatáque efficiant. Similem porrò hunc mundum, quem uidemus, putabat magnæ cuidam speluncæ subterraneæ, in qua uincti homines degeret ætatem, supernè à tergo ignis facem suspensam habentes, & nihil uidentes, uel sui, uel proximorũ, præter umbras ab igne in aduersam partem antri cadentes. Qui si quãdo patefactis terræ faucibus ex cæcis & tenebricosis illis latebris exuti uinculis in lucem excedant, læti intueantur admirabiles rerum species, quarum simulachra aut imagines obscuras antè cernebant. Facem ignis in specu rebatur esse Solẽ, mentem mũdi, & temperationem, lucem rebus ministrantem. Vincula uerò, corpora nostra terrena & concreta, quibus interstepiamur, & inflamemur ad omneis cupiditates: quibus impeditur animus ne ueritatem & sapientiam assequatur. Vmbras, res omneis sensibus subiectas, adeò mobiles, ut nihil unquam in his unum sit cõstans, ne idem quidem, ideóque nec cognosci, nec percipi, nec posse sciri. Sensus angustos, hebetes, & tardos, animos imbecillos, breuia curricula uitæ, ueritati nihil hîc relinqui, omnia tenebris circunfusa, omnia institutis & opinionibus teneri. Tum autem nos lucem uisuros, cùm in cœlum ex his uinculis corporis emissi feremur: ubi ipso animo per se cernemus ipsum per se pulchrum, syncerum, integrum, purum, simplex, nullis opinionibus humanis inquinatum. Illic æterna ueritas, illic sapientia & scientia

ſcientia uigent, quarum cupiditas cùm natura inſit in mentibus noſtris inſatiabilis, & exiguæ cótingant uel nullæ pótius in uita, futurum ſine dubio ut expleatur, cùm moriemur. Quòd ſi uiuentes aliquid ſapere uelimus, animum eſſe ad ſeipſum aduocandum, ſecum eſſe cogendum, maximéque à corpore abducendum, id eſt, aſſueſaciendum mori. Hoc & dum erimus in terris, fore ſimile illi cœleſti uitæ, & cū illuc referemur ex his uinculis emiſſi, tum denique uicturos. Hoc eſſe ſummum hominis bonum, nō in hac uita quærendum, quæ potius mors eſt dicenda, ſed in illa altera ſperandum. Huc tanquam ad extremum rerum expetendarum referenda degendæ uitæ ratio omnis, & cuncta conſilia benè uiuendi rectéq; faciendi. Quæ grauiter magnificéque dicta ſunt, ut temporibus illis, quibus homines in ſummo ſuperſtitionis errore, atq; in maxima ueræ religionis ignoratione uerſabantur, quibus neſciebatur quid liquidò utile & honeſtum, quibus uarij & incerti fines bonorum per ambages philoſophantium, & quaſi per caliginem proponebantur. Verumenimuerò longè certiora fuerunt, quæ poſteà ex ſancto auguſtóque CHRISTI fonte manarunt. Nam ante Chriſtum ſuperſtitio fuſa per gentes, oppreſſerat omnium ferè animos, atque hominum imbecillitatem occupauerat: exceptis Hebræis, qui ſoli mortalium ſingulari DEI beneficio ueram religionem colebant, illam quidem imperfectam & cer-

tē inchoatā: donec ille à patre nobis superuenit, qui in sacris libris se profitetur esse viam, veritatem, vitam, & lucem affulgentem omni homini nascenti, promittens indubitatam & æternam fœlicitatem sibi credituris,& obsecuturis. Qui reuerà Sol iustitiæ cùm esset, radiis ueritatis discussit mortis vmbras quibus obruebamur, & dominum mūdi huius diuturna metūum humanarum possessione deturbauit. Igitur Deus volens opitulari tandem homini quē ad effigiem diuinitatis effinxerat, cælo demisit filiū vnigenam & singularem in terras: qui assumpta humanitate, naturā indeusque ab initio mūdi culpa Adami corruptam, cuius correctio tētata primùm fuerat per Abrahamum, deinde per Mosem, pòst per prophetas insequentes, nouissimè in antiquum statū, ex quo deciderat, beneficus restituit, eique ad summam beatitudinem suo sanguine aditum muniuit. Quàobrem illi ut Seruatori exultantes gratias agimus, eùmque iustis honoribus & memori mente uenetamur ut Deum:

Qui princeps vitæ rationem monstrauit, eam quæ
nunc appellatur sapientia:
Veridicis & qui purgauit pectora dictis,
Et finem statuit cupidinis atque timoris:
Exposuitque bonum summum, quò tendimus omnes,
Quid foret, atque uiam monstrauit limite prono
Qua possemus ad id recto contendere cursu:
Quidue mali foret in rebus mortalibus, & qui

Flu-

Fluctibus è tantis uitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, & clara luce locauit.

Duo autem potissimùm commẽdauit. Vnum, ut in Dei amorem toti animo & studio insisteremus, ab eo solo salutem speraremus, ab eo uitiorũ peccatorúmque nostrorum omnem peteremus correctionem, & expiationem. Alterũ, ut homines alios perinde ac nosmetipsos diligamus, ob eámque ipsam causam quòd homines sint consultum illis velimus, societatem charitatis cum his coëamus, omnes ut natura coniunctos, nostros ducamus: agnoscentes non ut populares aliquotum locorum, sed ciues totius mũdi: nec solùm in amore respondeamus his à quibus prouocemur, sed etiam benè cupiamus inimicis: ab alienis mentes, oculos, manus abstineamus, nullius spolijs nostras facultates, copias, opes augeamus, nemini proprij commodi causa noceamus. Prętereà in Euangelijs passim hortatur ad pacem, ad mansuetudinem, omnémque uirtutem: reuocat à flagitijs, iubet domare libidines, coercere cupiditates, monet ne in diuitijs pecunijs, honoribus, imperijs, gloria, ne in corporis commodis & voluptatibus, fœlicitatis spem collocemus: sed in vitæ cælestis expectatione, & in bonis animi sempiternis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec assequi potest hîc mẽs nostra. Ea autem Deus mũdi præses & iudex omnium pietatis ac probitatis præmia sui cultoribus proposuit: quibus post mortem, corporibus in vltimo generis

humani iudicio resumptis, cupiditatum & dolorum expertes, nihil sibi deesse sentientes, nihil requirentes, tranquillissimè perfruentur in perpetuitate omnis téporis consequentis. Tunc ipse animus se uittis exutum cognoscens, coniunctúmque cum diuina mente sentiens, insatiabili gaudio complebitur. Hæc est vera fœlicitas, ut Deo cõiungamur: quod eius solius beneficio possumus assequi, qui in seipso hominem Deo coniunxit: ut quemadmodum filius Dei hominem induit, sic per eũ nos homines filij Dei fiamus. Pro hac Christus patrem orabat atque obsecrabat, ut sicut ex ambobus vnum efficiebatur, sic cæteri secũ in vnum coirent. Hanc Paulus sperabat cupiens dissolui, ut cum Christo cõnecteretur. Hac cecidit Dæmon, propterea quòd eò ascẽdere non rapi uolebat. Hæc est optanda merces omnium laborum: quam non modò summam, sed nimirum audebo uel solam dicere. Hæc uita æterna, hæc sapientia, quam philosophi nisi per caliginem non uiderunt. Ea demùm magna est consolatio in morbis, solitudine, paupertate, in carcere, uerberibus, cruciatibus tormentis, in exilio, amissione suorum, luctu, orbitate: vt omnia præsidia habeamus in Deo bene beatéque uiuendi. Nam impendente morte aut instante iam planè, aut certè appropinquante, non mediocre proponetur solatium, reputantibus fiducia ueræ pietatis ad cælestem patriam, atque adeò ipsam æternitatem reditum longè certissimum patere.

tere. Nec uerò in calamitatibus uitam negligemus, à quibus breuitas temporis nos sit uindicatura: cùm sciamus diuersorium nobis, non habitandi locum esse datum: neque eandem in prosperitatibus auidè nimis amplectemur, omnia humana spernentes præ immortalitate illa, quam adepti, Deo coniungemur per ipsius amorem immensumque erga nos benignitatem. Eo pacto nulli metus terrebunt, nullæ ægritudines exedent, nullæ libidines incitabunt, nullæ lætitiæ exultantes languidis liquefacient voluptatibus: sed seruantes æquabilitatem vniuersæ uitæ, tum singularum actionum, erimus Deo & hominibus commendatiores.

FINIS.

H



LVD. REGII CONSTANTINI AD PRAESTANTISSImos clarissimósque huius ætatis viros Epistolarum Liber.

FRANCISCO II. FRANCIÆ REGI CHRISTIANISSIMO Ludouicus Regius S. D.



CVM memorabilem patris tui Regis maximi exitum mandassem literis, & cósolationem scripsissem ad Reginam matrem tuam, mulierum huius ætatis ornamentum, statueram quoque separatim ea de re tibi aliquid exarare, ad quem sciebam doloris multò maximam partem redundasse. Sed circunspicienti mihi summam tuam erga matrem cùm pietatē tum obseruantiam, quæ ad illam scripsissem, eadem ad te usa sunt pertinere: nec uerò sine causa repeti debere, nisi aut uerbosè loquax, aut intempestiuè officiosus erga tuam Maiestatem esse uellem, quod ineptum in primis

mis & minimè ferendum esset. Omnem igitur orationem ad gratulationem traducendam existimaui. Nam cùm per se magnum est regnare, tum uerò imperare Franciæ nobilissimæ orbis terrarum regioni, & vix dum ex ephebis excedentem auspicari principatum, maximam habet rarissimámque fœlicitatē. Ad quam accedit admirabilis matris bonitas, incredibilisque prudentia: cuius consilijs præcipuè obtēperans regnum paternum auitúmque gubernas. Accedunt etiam Lotaringi principes, aliique præstantissimi homines non pauci: quorum fideli opera domi & militiæ utens, haud ambigam quin rem & ditionem Francicam auctiorem florentioremque reddas. Quocirca nihil mirum si ab omnibus Europæ principibus & ciuitatibus legationes honorificæ ad te mittantur publicè gratulatum tantam dignitatem tibi in hac ætate delatam, Franciæque datum talem Regem & præsenti iudicio, & reliqui temporis expectatione. Certè eum te fore sperant cum tot tantisque adiumentis, qui regnum afflictum & oppressum continuis superioribus bellis, in ueterem dignitatem sis uindicaturus. Deus igitur tibi principatum fortunet, ut expectationi hominum respondens, omni virtute & fœlicitate regnandi, optimi patris tui desiderium minuas. Blesis, pridie Id. Februar. M. D. L X.



PHILIPPO REGI HISPANIARVM LVDOVICVS REGIVS S. D.

POsteaquam rescitum est inter te & Regem nostrum agi de compositione, sanequàm, pro eo ac debuerunt, omnes hoc optatissimo nuntio vehementer gauisi sunt. Sed vbi ad pacem conciliatam, affinitatis coniunctionem, uelut confirmandæ pacis pignus, accessisse cognitum, totius Europæ lætitia incredibiliter aucta est. Qua de re cùm scripsissem orationem, quæ in utriusque Regis nomine apparuit, quamprimùm eius exemplum tibi offerendum putaui. Sed ne cui temerarium uideatur, me externum hominem, infimum & ignotum, scripto tantum Regem adire: quæso à te vt mihi des hanc veniam accommodatam præsenti occasioni, tuæ quidem Maiestati, quemadmodum spero, non molestam, vti patiare & munus nostrũ quàuis leue exiguúmque tibi offerri, & separatim tantæ mãsuetudini, tanto in summa potestate rerum omnium modo gratulari. Quod ut facerem, multa me mouerunt: primùm, quòd huc nec obscuro nec uario sermone, sed & clarissima & vna omnium voce adferebatur, te à puero optimè educatũ, literis honestissimè

ſtiſſimè uelle: deinde, quòd extare cupiebá aliquod meũ ſtudiũ colendæ tuæ dignitatis: poſtremò, ut tãti in rempublicam Chriſtianam meriti laudem literis cuſtodirem, & quantum ego poſſem, ab obliuione hominum, & à poſteritatis ſilentio uindicarem. Habuiſti patrem Carolum v. Cæſarem, uirtute, gloria, rebus geſtis clariſsimum: qui bella geſſit omni uita maxima & plurima, penè continentia, cum barbaris atque Chriſtianis, qui ſuperiorum Cæſarũ gloriam prudentia ac fœlicitate ſuperauit. Tamen ſi ritè expendamus, certè hoc tantum pacis ſtudium, quod in te omnes prædicant & agnoſcunt, paternis laudibus & uictoriis præferri iure debet. Quòd hæ ſine ſtrage multa generis humani parari nõ potuerint: Tua uerò conſilia ſpectent ſalutem omniũ & quietem: quæ ſunt tantò præſtantiora, quantò melius eſt ſeruare, quàm perdere paſſim homines: & iuuandis illis, quã euertendis gloriam quærere. Quamobrem gratulor noſtræ ætati hanc optatam magis quàm ſperatam fœlicitatem, gratulor orbi pacem terra marique redditam, gratulor Galliç & Hiſpaniæ antiquum fœdus renouatum, gratulor deniq, nobiliſſimis familiis affinitatem denuò conciliatam, ex qua omnia ſumma expectantur. Quod uerò ſupereſt, Socero pariter ac Genero diuturnam incolumitatem precor: ut tantis bonis perpetuò fruamur, quæ & diuina clemẽtia, & utriuſque pietate nobis contigerunt. Vale, Lutetiæ Pariſiorum, Cal. April. M. D. LIX.



EDOARDO VI. ANGLORVM REGI LVDOVICVS Regius. S. D.

Etsi Britannia gentium nulli postferenda est, siue ubertatem soli, & commoditatem maris, & cæli temperiem spectemus, siue fortitudinem hominum & præstantiam artium quibus referta est, siue nobilitatem & antiquitatem regnorū quibus decoratur: tamen ex tot eius laudibus nulla est aut amplior aut illustrior, quàm quod te regem hodie nacta est cùm omnis uirtutis cupidissimum, tum uerò suprà ætatem, supra consuetudinem aliorum huius memoriæ regum, omni politiore humanitate, & linguarum uariarum cognitione præditū. Ac cupiuetam quidem anteà sæpius huc uenire, ut situm insulæ, genúsque hominum nossem, & quibus uterentur institutis: sed mihi usque ad hæc diem impedimento fuerunt cùm occupationes priuatæ, tum bella quæ inter utramque gentem diuturna fuerunt. Nuper autem fœdere inter te & Henricum Regem icto, post Boloniam receptam: cùm proceres nostri qui confirmandæ pacis gratia huc uenerant, multa de tua indole uerè regia prædicarent, hoc magis incensus

censsus sum, non cupiditate solùm lustrādæ regionis, sed etiam admirabili fama incredibilium uirtutum tuarum. Ac demū huc profectus, & ad te deductus, omnia quæ tribuerentur, tuo merito maiora, quàm aliorum prædicatione, facilè perspexi. Quæ ego pluribus uerbis efferrem, nisi exploratum haberem, te esse ea bonitate naturæ, ut eiusmodi laudes nō aucuperis: atque ita à doctissimis præceptoribus institutum, ut has tātas corporis atque animi dotes, quæ in te mirificè elucent, Deo, cuius est uera & solida gloria, feras acceptas. Cæterùm si parùm cumulatè gratias agere tuæ maiestati uidear pro præstanti munere quo me donasti, quæso ne meæ potius naturæ, quàm magnitudini eius beneficij tribuas. Quam tamen debeo grati animi sedulitatem perpetuò præstabo, & qualibuscunque scriptis meis, accepti beneficij memoriam testabor. Vale. Londini, Cal. Febr. M. D. LI.

PHILIBERTO EMANVELI SABAVDIAE, ET MARGARITAE Biturigum, Ducibus, Ludouicus Regius S. D.

ONDVM ſatis cõſtitui utri gratulari magis debeam, tibíne Dux magnanime, cui conſenſu duorum potẽtiſſimorum Regũ patria & auita ditio redditur, & vxor deſponſa eſt, quam hæc ætas habet ſpecimen caſtitatis, prudentiæ, modeſtiæ, omníſque decoris muliebris: An tibi, virgo regia, quæ tãdem nuptura es principi belli pacíſque artibus nulli ſecundo, & nobilitate, authoritate, fœlicitate præſtantiſſimo. Videor mihi iam uidere uniuerſam Sabaudiam belli calamitatibus leuatam utrique obuiam procedere, iam populum innumerabilem ex agris, uicis, oppidis, ſtudio gratulationis effundi: iam reliquos Allobrogas & Pedemontanos gaudiis exultare ob reſtitutum ſibi Principẽ, & ob ueſtras nuptias fœlices. Ego autẽ, cùm hanc lectiſſimam vxorem tibi deſtinatã unam ex omnibus potiſſimùm in aula coluerim: meam erga illam obſeruantiam viro etiam eius accõmodandam putaui, nec abs re futurum, ſi & ipſe ſignũ edidiſſem lætitiæ, quam percepi ex hac amicitiæ coniunctioníſque neceſſitudine, quæ Europę finem bellorum præcipuè attulit. Valete, Lutetiæ Pariſ. menſe Aprili M. D. LIX.

CARO-

CAROLO LOTARINGO PRINCIPI ET CARDINALI Ludouicus Regius S. D.



VELLEM Deus fecisset ut tibi potius recẽtes semper ingenij fœtus offerre possem, quàm toties precibus meis te fatigare cogerer. Sed animus angoribus confectus quotidie magis ac magis hebescit, nec desperatione debilitatus quicquã potest in literis paulò altius uel meditari, uel moliri. Nam cùm à puero omni arti & doctrinæ liberali multùm deditus fuerim, ac meliorem ætatem in aula & luce regni Franciȩ egerim: nũquam discedens ab illis qui & sapientia & regenda republica principes habebantur, ut cum doctrinæ studijs usum frequentem rerum pro mea virili parte cõiungerem: quòd existimabam omnem cognitionem contemplationémque mancam, si nulla actio sequatur: nõdum tamen aut perennia studia, aut tot labores exãtlati ex benignitate regia, cuius pręcipuè promus & condus es, præsidium ullum firmum cõpatarunt: nondum exoptanti mihi, ac tantoperè cupienti, uel flagitanti potius, fructus otij datus est ad celebrandas grauiorum artium disciplinas, atque recolendas. Ac nescio quonam meo fato fiat, ut quantò longius progredior, tantò acerbioribus calamitatum fluctibus iacter. Equidem uereor ne tandem tenebris offusis naufragium faciam, perditis omnibus

industriæ meæ fructibus, & fortunę, aut suborta grauiore tempestate, cursum quem ceperam, cogar immutare. Portum enim & perfugium nullum uideo paratum otij moderati & literati, in quo aduentante senectute cõquiescam: nisi tu, qui gratia & authoritate plurimùm præstas, indigenti mihi opitulari uelis. Quod cùm facturum benignè sæpius receperis, idque non solùm tua sponte (quod in summa beneuolentia puto) sed etiam plurimorum, amplissimorum, ac grauissimorũ virorũ cõmendatione adductus: te obsecro per Deum Opt. Max. per præstãtiam ingenij tui & generis, deniq; per literas ipsas, quarum patrocinium suscepisti, quæ tibi in omni uita charissimę fuerũt, & quibus mortaliũ generi nihil melius, nihil magis expetendum Dei concessu atque munere est datum, ut si te unum ex omnibus feci semper plurimi, si summa obseruãtia colui, si te toties ęquissimum æstimatorem & iudicem præstitisti scriptorum nostrorum, quæ iam satis multa in hac occupatione aulæ atque uitæ edidi, postremò si dignum regio tuóq; beneficio iudicas: obsecro, inquam, ut subuenias huic meæ solicitudini, ut huic meæ tenuitati subleuandæ: uel, ut uerius dicam, inopiæ, tuam beneuolentiã & gratiam impertias. Noli, quæso, pati hũc supplicem tuum in perpetuis ærumnis ac squalore uersari, cui posita sunt in te omnia. Quem enim aliũ appellem, quem obtester, quem implorem, præter te habeo neminem. Tuum est, Cardinalis maxime, hoc

munus

munus, promouere literas, iuuare studiosos: tuæ est dignitatis, tuæ benignitatis, tuæque pietatis. Itaque me totum tibi, in quo facultas iuuandi tāta est, quāta in ullo unquam fuit, commendo, & penitus trado. Quem si tuendum ornandúmque susceperis, ut suscepturum spero, addictum, deditum, obstrictum habebis memoria beneficii sempiterna. Vale. Blesis, prid. Id. Decembr. Ann. M. D. LX.

FRANCISCO LOTARINGO GVISIæ Duci Ludouicus Regius S. D.

Procemium in Politica Platonis & Aristotelis è Græco sermone in Francicum versa.



VETVS est mos doctorum hominum laudandus, ut cùm ex literis aliquid ad commune fructum in aspectum lucémque proferunt, dedicent libros præstantioribus illustrioribúsque ætatis suæ viris, quorum ex amplitudine aut præsidia aduersus inuidiā, aut suis fortunis adiumenta quærant. Itaque cùm nuper è Græco sermone in Francicum conuertissem Aristotelis & Platonis duorum præstantissimorum philosophorum nobilissimos de optimo reipublicæ statu libros, plenos quidem illos magnæ eruditionis, summéque utilitatis refertos: quærenti mihi cui hunc meum laborem dicarem, nemo ætate nostra te di-

gnior occurrebat, cùm ob raras egregiásque uirtutes quibus ornatus es, tum propter res magnas à te domi militiæque gestas: quarum fama orbem terrarum peragrauit, & laudem nulla unquam obliuio obliterabit. Nec dubito quin si doctissimi illi homines reuiuiscerent, idem mecum sentirent, séque libentissimè, ac multo uerius cupidissimè conferrẽt in fidem tanti viri, Ducum huius memoriæ nobilitate, fortitudine, fœlicitate, existimatione facilè principis. Quòd si quando, in tantis occupationibus, aliquam facultatem uacui ac liberi temporis adeptus, ad hæc sapientiæ monumenta respexeris: profectò multa inuenies, quæ magno tuo ingenio omnium rerum capaci, acerrimóque iudicio satisfaciant, cùm compluribus alijs de causis, tum maximè quòd cũ instituta degendæ uitæ ratione pulchrè cõueniant, & sint similia negotijs publicis ac grauibus quæ quotidie tractas in consilio Regis sanctiore. Addidi porrò his politicis libris septẽ orationes Demosthenis, uidelicet treis Olynthiacas, & quatuor Philippicas, à me etiam Francicè explicatas, ídque propter cognationem quæ fuit huic summo oratori cũ utroq; philosopho, & ut sapiẽter sentiẽdi scientiã cum ornatè dicendi facultate pro mea parte sociarem: continuans inceptum atque institutum meum dirigendi styli, formandíque iudicij, exercitationis assiduitate ad præscriptum tantorum authorũ, quorum quisque in suo genere propè perfectus est. Nec uerò

uetò cutaui solùm uerbis ad morem nostrum aptis illorū sententias interpretari, sed enisus sum locis obscurioribus lucem afferre, ut munus tibi donatū ornatius redderē, cæterisque qui in tuo nomine euulgatum legent, facilius ad intelligendum. Et quoniā Politica, siue ars ciuilis, & prudentia, in usu præcipuè posita est: ubi res poscere uidebatur, citaui exēpla omnis memoriæ priscæ, ac recentis, à me partim uidendo, partim audiendo, & legendo accuratè obseruata in illustrioribus orbis terrarum ciuitatibus, regnis, imperiis: conferendo eorum inter se similitudines ac dissimilitudines: notando mores, instituta, disciplinas, leges: peruestigādo initia, progressiones, incrementa, imminutiones, ruinas, inclinationes, cōuersiones: tum persequēdo causas & rationes ex quibus manarunt, maximè secūdum præcepta his libris tradita, quæque assiduo usu deprehensa sunt, & diuturnitate obseruationis bis mille annorū postea inuēta. Multus fuit labor in explicandis primùm sermone patrio rebus tam arduis & grauibus, ac exprimenda uertendo effingendáque elegantia, & proprietate scriptorum: qui perfectissimè in lingua omniū perfectissima locuti sunt. Sed nulla res unquam erit tāta, quam non perlibenter suscipiam, modò tibi placituram, tuóque honori suspicer inseruituram. Cui dico, deuoueo, consecro hanc meam translationē, omniū, quæ adhuc in Francia uisæ sunt, maximè cōmendandam: siue materiæ subiectæ dignitatem, &

vtilitatem ponderemus, siue præstantiam & claritatem authorum respiciamus: qui post homines natos longè doctissimi eloquentissimique fuerunt. Equidem in spem maximam, & quemadmodum côfido uerissimâ adductus sum, hunc ipsum laborem meû præter alias prærogatiuas, hoc fore gratiorem, quòd prodeat in publicum auspicio Ducis nobilissimi, & vbique gentium hac ætate clarissimi. Bleßis VI. Cal. Ianuar. Ann. M. D. LIX.

FRANCISCO OLIVARIO FRANCIAE CANCELLARIO Ludouicus Regius S. D.

IAM sextusdecimus est annus, aut nô multò secus, cùm tibi, quem unum mortaliû omnium maximè colo, & reuereor, primùm innotui. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obseruátiam, neque tuam mihi beneuolentiam defuisse. Ac sanè tātus uir es omnibus ornamentis ingenij, fortunæ, dignitatis, ut nihil mihi potuerit honorificentius accidere, quàm in tuorû numero haberi. Illud mihi uehementer dolet, multos meos magnósque labores nullo firmiore præmio compensari, nec quietem studiis impetrari. Itaque uideo mihi necessariò mutandum consilium: quod tandiu suspensum & incertû obscura spe & cæca expectatione pendere, cùm mutile

tile, tum indecorū: & q̃ extremæ dementiæ est, in eo diutius elaborare, quod quis desperatione debilitatus assequi nequeat. Antequã tamen aliquid moueã, omnia experiri uelut in ultimo conatu decretū est, ut testatū omnibus faciam, fortunã mihi potius, quã aut industriam, aut uoluntatem, aut patientiam defuisse. Et quoniam magna sunt uerborum tuorum pondera: existimaui si unum uerbum cum mea commendatione iungere uelles, id mihi ualde profuturum. A te igitur maiorem in modū peto, & quæso, ut in hac tanta gratia & authoritate nõ alumno tuo desse. Quotidie circumeo & supplex prehenso Reginam matrem, & Cardinalem Lotaringum, & Ducem Gusium: penes quos summa mei iuuandi & ornandi potestas: admoneo laborum, & uigiliarum. Qui omnes uerbis me beant. sed nimiū diu differunt promissa complere. Postulata quidem æqua & debita fatentur, sed expectandam occasionē: quæ cùm singulis propè diebus renascatur, mea maximè refert, lenta tarditate, & procrastinatione aulis usitata non ulterius suspendi. Quòd si in accelerando mihi negotio non grauaberis beneuolentiam nauare, ad tua in me plurima merita maximus hoc facto cumulus accedet. Porrò autem nactus hîc plusculum otij, scripsi Consolationem ad Reginam matrem, quam arbitror multò gratiorem fore, si accuratissimo iudicio tuo, grauissimóque testimonio probata, ueniat in manus hominum. Proinde rem mi-

hi honorificam & valdè optatam facies, si inter maximas occupationes legendo percurrere uolueris. Putabã me breuioté fore, cùm initio animum appuli ad scribendum: sed ingressum repentè ingenij æstus abripuit, atque in altum abstraxit: cúmque mihi uiderer nactus uentum satis secundum, uela orationis contrahenda non putaui. Verùm refrigerato inuentionis amore, & redundantia resecabuntur, & ieiuna explebuntur, & rudia limabuntur, & inculta perpolientur: interposita ubique amicorum, qui iudicare poterunt, censura. In quibus cùm principem locum teneas, & elegantium literarum reconditiorúmque artium disciplinis instructissimus sis, unus eris mihi instar omnium. Vale. Blesis III. Non. Febr. An. M. D. L X.

ANTONIO PERRENOTO EPISCOPO ATREBATENSI, Regis Hispaniæ Consiliario primario, Ludouicus Regius S. D.

TANTVS est splendor in laude uera, tanta in uirtute dignitas, ut eos in quibus lumen sapientiæ ac prudentiæ perspicimus, & amemus plurimùm & maximè obseruemus. Quapropter conciliata pace inter maximos potentissimósque Reges Christianorum, tuam mihi gratiam continuò quærendam putaui: qui maximis in rebus & gerendis & sustinendis ab ineunte ætate exercitatus, probitatis, doctrinæ, fidei, grauitatis, humanitatis documēta tot & tāta vbique dedisti, ut laudes tuæ iamdiu in luce Europæ, & in oculis auribúsque omnium uersentur. Itaque cùm in aula uestra alicuius potentis uiri & gratiosi patrocinio egerem, qui aditum ad regiam maiestatē daret, tu primus occurristi quem ego, licet ignotus & externus, literarū fiducia præcipuè rogarem. Nam cùm tu cæteríque vtrinque delecti viri prudētissimi, salutaribus uestris consiliis pacem postulanti orbi, uel flagitāti potius, nuper restituissetis, institui in publica omniū lætitia ea de re scribere orationem: quam ideo tibi mittere uolui, ut si dignam iudicaueris, Regi Hispaniæ offeras, sed grauissimi iudicij tui commendatione prius

oi ıtar ı. Hoc nihil mihi, aut scriptioni meæ, honorificentius præstare possis, idque ut facias uehementer peto, & sic mediusfidius, ut maiore studio magis ex animo non possim. Vale, Lutetiæ Parisiotum, mense Aprili, M. D. LIX.

LVDOVICVS REGIVS IOANNI MONLVCIO VALENTIAE EPIscopo, Regis Franciæ consiliario, S. D.

SIc fuit semper cũ beneuolẽtia tua, tũ opera prõpta omnibus & parata, ut laboratibus amicis occurrere etiã soleat, nullius interdũ precibus euocata. Quo minus uerebor ad tuã opẽ confugere, præsertim cùm honestissimè mihi cupere semper uisus sis, nõ meo quidem hercule merito, sed abũdãtia quadã humanitatis tuę. Ego, ut scis, iãdiu saxũ Sisyphi in aula uoluo, necdũ tamen magnorũ meorũ laborũ, multarũq; uigiliarũ fructũ ullũ satis uberem cepi: haud dissimilis Danaidũ, quibus olim apud inferos pœna imposita putabatur, ut aquis fracta dolia implerẽt, aut Tantali qui in medijs undis siti consumebatur, propterea ꝙ ibi, ubi plurimi nõ adhibito interdũ magno delectu ditãtur, tãdiu maneã inanis: alioqui non omnino inutilis aut indecorus regno futurus, si præmia honestis studiis persoluerẽtur. Ac nulla spes est quicquã me consecuturum,

turũ, nisi primores aulę & eorũ familiares assiduè ob secrẽ, circũstem, urgeã. Et quoniã apud illos multum uales gratia, & moris aulici es peritissimus, à te enixè peto, ut si me dignũ tuo auxilio, si gratũ, si memorẽ, si deniq; literarũ cupidũ, uel ex hoc ipso quòd tã uehemẽter de literis laborẽ iudicas, ut sicut adhuc fecisti amplificãdę fortunæ meæ tuũ studiũ dices. Quòd si quicquam impetraro, existimabo cùm procuratione tua, tum cõmendatione, meis studiis quæ maximè cupierim, præmia contigisse. Vale, Blesis.

LVDOVICVS REGIVS CONSTANTINVS MICHAELI HOSPITALI Franciæ Cancellario S. D.

MAGNO in dolore sum, uel mœrore potius, quẽ ex morte Francisci Oliuarij Cãcellarij optimi sapientissimíque hominis accepi. Moueor enim tali amico orbatus cuius ex consuetudine honorifica tantum fructus & vtilitatis in omni genere prudentiæ percipiebã. Nec minus angor, eius decessu regno huic nostro graue vulnus inflictum. Auget etiam molestiam, quòd uir egregius, & cùm doctrina propè singularis, tũ uerò incredibili quadam integritate atque animi constantia admirabilis, alienissimo Frãciæ tẽpore extinctus, & moderationis & prudentiæ suæ triste sanè desiderium reliquit. Quem tu quoque tanti faciebas, quã-

ti apud te is esse debebat, quem & æstimares plurimi ob raras excellentésque uirtutes, & tibi amicissimũ esse certò scires. Sed vbi rescitum, te in illius locũ esse suffectum, atque in hunc summum magistratũ longè gentium nec opinantem accersitum: id uerò non mediocriter dolorem leuauit meum, quòd doctior quàm tu es, aut mihi amicior, nemo ad hanc celsissimam sedem dignitatis, atque honoris poterat vocari. Ac tametsi tuæ sapiẽtiæ oblata est tempestas difficillimi temporis, & undique magni motus uidentur impendêre: tamen non possum nõ confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd uideam te unũ ex omnibus ad tãtum munus, & ad summum discrimẽ reipublicę delectum. Tuam quidem certè iustitiam, grauitatem, humanitatem, fidem, præstantiam lætor in ea tandem luce collocatam, ubi maximè eminere & apparêre posit. Ac precor à Deo Opt. Max. ut ea res Regi, populo, plebique Franciæ, & tibi tuóq, magistratui benè atque fœliciter eueniat. Cæterùm ego tibi profiteor ac defero eximium & singulare meum studium, in omni genere officij quod ad complectẽdam tantæ dignitatis accesionem spectet. In quo & si multi mecum contendent, tamen de me affirmare non dubitabo, te maioris sedulitatis, asiduitatis, obseruantiæque erga te habiturum neminem. Tãtum à te peto, ut quoniam post clarisimi uiri mortẽ orbæ philosophiæ quasi tutor relictus es, hanc tueare quantum potes, & eundem te præstes in me ornãdo,

qui

qui fueris sæpè in commendando. Quòd si huic solicitudini, quæ nullam partem neque diurnæ neque nocturnæ quietis impertit, subueniendum duxeris, meuoti ac præmij tandiu expectati compotem propediem facere poteris, nullo tuo incommodo aut labore. Vale. Chinone IX. Maij. An. M. D. LX.

LVDOVICVS REGIVS CAROLO MARILIACO ARCHIEPISCOPO Viennæ, & Ioanni Moruillerio Episcopo Aureliæ, Consiliariis Regis Fráciæ primariis S. D.

EA res me maximè solicitum habet, quum uos summa uiros authoritate & præstantissimos sæpius adeo postulatum: ne aut in misera mea fortuna multúmque iactata cupidius instare, aut in uestra dignitate impudentius uidear rogare. Sed quoniam eximia uestra beneuolentia ex multa uictus cõsuetudine, honorificísque cõgressibus perspecta est, & integritas, constantia, fides, præstantia vtriusque in mulus magnísque rebus spectata: frangam ipse me, & de curriculo uerecundiæ aliquantũ deflectens, ultimam hanc opem efflagitabo. Equidem initio rerum atque studiorum meorum si prospexissem, tantam in paranda fortuna difficultatem, quiduis potius quàm literas secutus essem, quæ nil

aliud præter curas, solicitudines, & intempestiuum senium afferrent. Omnes enim ad studia præmiis incenduntur, & vbi ueri atque honesti labores nullis honoribus decorantur: illic eorũ qui sese optimis artibus dediderunt, & spes infringatur, & industria lãguescat necesse est. Quocirca nihil mirũ si literæ quę non ita pridem in Francia uigere cœperant, antequã radices egerint, ad interitum spectent: ut quò minus huic generi honoris habeatur, eò minora quotidie studia uideamus, nec ignoremus quàm in paucis spes, quanto in paucioribus sit facultas. Ac ut de me ipso aliquid querar: ego cùm à pueritia tantum diligentię posuissem in uirtute atque humanitate percipienda, tantum in omnis liberalis doctrinæ studio assiduitatis: mihi unquam præsidiũ defuturum putarem? ut post tot exantlatos labotes nullæ opes suppeterent, quibus me alere, meáque studia non solùm illustrare, uerùm ne sustentare quidem ipse per me possem. Ego cùm tot annos laborauissem, ut non ex libris solùm & in umbraculis otióque eruditorum sapientiam adipiscerer, sed in medio rerum usu, & in luce huius regni meliorem ætatem integerrimè egissem, notus ob honorem literarum, multáque officia fideliter præstita, Regibus & eorum familiaribus, cõsiliariísque primariis, ac cæteris in aula cùm authoritate & gratia maximè florẽtibus, tum uerò doctrina & omni sapiẽtia pręstantibus, quibuscum assiduè uersatus sum: Cùm tot uigilias ad communem fru-

ctum

ctum attulissem, & in aspectũ lucémq́, protulissem non sine ingenij commendatione, mihi non futurũ in patria locum sperarem, vbi in hoc flexu quasi ætatis honestè conquiescerem? Quid igitur faciundum mihi censebitis? an quia non excellẽtibus gratiis aut opibus nitor, animo deficiam? aut pulcherrimũ deseram institutũ, à cuius fonte labores mei ad hominum famam & existimationem latius opinione dimanarunt? Immo uerò eò etiam elaborabo diligentius, & euigilabo acrius, quò mihi præclarius aliquãdo fore spero, me non modò nullis impedimẽtis de sententia mea deiici potuisse, sed etiam aduersus omneis difficultates rectum cursum tenuisse. Quibus enim potius hæc uita cutis traducatur, quàm his quę pertinent ad animum optimarum artium disciplinis excolendum? Mihi quidem ita beatus esse uidebor, si modò in perpetuitate huius consilij constitero: quanuis exitus optatus minimè cõtingat. Nec uerò res ulla erit unquam in qua ego libẽtius acquiescam, conditione uel mediocri contentus. Illud perpetuò animo meo fixum maneat, nullã esse auram honoris, nullam spem dignitatis, quæ sapientiæ studio debeat anteferri. vtinam liceat ex his fluctibus aulicis uenire in portum non inertię neque desidiæ, sed otij moderati atque honesti: ubi non solùm præstantissimos scriptores ad sapienter sentiendum ornatéq́, dicendum cognoscam: sed etiam promam ex me semper aliquid, quod si eruditis minus satisfaciat ob doctri-

nã,at propter conatum egregiæ in me uolũtatis plurimis probetur. Quòd si in patria non sequatur quæ debet fortuna, nõ ideo succumbam, aut deflebo tot susceptos frustra labores: quoniam non tam præmia uirtutis & doctrinæ semper putaui sequenda, quàm ipsam uirtutem atq; doctrinam. Quin optimæ mentis conscientia fretus, præsidium quod in Francia negatur, alibi quæram, mihiq; esse iudicabo patriã ubicunque sapientię locũ inuenero. Ego amplius quàm feci, facere nequeo. Adest quidẽ quod mea diligentia assequi potui: sed abest quod Regis beneficio pręstari & debet & potest. Dux Sabaudiæ & eius vxor me accuratè per literas commendarunt, & Frãciscus Oliuarius sæpius causam meam egit: nemóq; est in aula aut dignitate clarior, aut authoritate grauior, aut humanitate politior, qui non quibuscunque rebus posset, mihi consulendum & prospiciẽdum duxent. Quin etiam Regina mater cùm nouissimè Ambasia discederet, me corã Rege filio iussit bene sperare. Et Cardinalis Lotaringus de isto sæpissimè rogatus, semper honorificè amantérque uisus est de me & sentire & loqui. Qui si eam uoluntatem quam vultu & uerbis toties significauit, re declarare uellet, non laborarem Agitur autem non tam de honore aut dignitate (quod quidem optãdum esset) sed, quod me pudet scribere, ne ab omni humana ope desertus, aut ex Frãcia abeam, aut institutis desim studiis. Huic non tam literarum, quàm Franciæ ipsius

fius ignominię & turpitudini, quoniam D. Cardinalis unus hoc tempore præcipuè mederi potest, non tam à uobis peto, quod antea sæpè feci, sed etiam per singularem uestram erga literas uoluntatem omnibus perspectã, obsecro, ut agatis cũ illo apud quem gratia plurimùm ualetis: ne hominem solo uirtutis studio, & fortunæ iniuria calamitosum deserat, neu cómissum uelit ut is de quo præclara multa iudicia fecit, & à quo summa obseruantia semper cultus est, abeat inanis. Quòd nisi in hac tãta authoritate & facultate iuuandi, me suo beneficio dignatus fuerit, cedere omnino tempori deliberatum est. Nam stultitia summa esset, his artibus instructũ, in quibus ubique opis est satis ad benè beatéque uiuendum, expectando semper miserum animo pendêre, oberrãtem circum potentiorũ limina, & assectantem eorũ mensas, quod quidem aulicis in more positum est, & operam perdentem ingeniíq; fructus, ac proinde dedecorantem literas & seipsum. Cæteros pollicitando lactent, & falsa spe producant, quantum uoluerint: mihi autem, qui tot annos in aula uixi, nec solùm in meis rebus, sed etiam alienis, expertus sum sæua mercede, magnóque dolore, quantum ibi sit fidei & stabilitatis, si uerba dari diutius paterer, essem omnibus ridiculus. Ac præclarè mecum fuisset actum, si nunquam rationes meas ad hos aulæ scopulos applicuissem: in quibus multi uiri boni naufragium fecerunt, & me tanquam neruis omnibus

exectis debilitatum nunc uidetis. Profectò mihi ac tranquillitati meæ rectius consuluissem. Sed quoniam hoc iam in integro mihi esse non potest: à uobis quæso, ut si quis ad eam uoluntatem quam in me iuuãdo adhuc adhibuistis, cumulus accedere potest, is hac postrema mea efflagitatione accedat. Nec uerò bonitati diffisus uestræ, sed his in quib⁹ iaceo miseriis pressus, eadem de re uobiscum ago simul ac separatim & sæpius & accuratius. Ac quemcunque exitum res habitura est, hãc existimaui epistolam ad uos scribi oportere, meæ in patriam pietatis testem, summæque erga uestram amplitudinem obseruantiæ indicem. Valete, Turoni Ferus Paschalib. M. D. LX.

FINIS.